



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Canones Directivi Confraternitatis Sacerdotum Bonae Voluntatis, Sub Invocatione Domini Nostri Jesu Christi in Cruce morientis

Dirckinck, Johann

Coloniae, Anno 1709


VD18 12518239

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51869](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51869)



M. 2072.

q. IIII
2.





G. H. Schöfelen Sculps.

CANONES
DIRECTIVI
CONFRATERNITATIS
SACERDOTUM
BONÆ VOLUNTATIS,

Sub Invocatione

DOMINI NOSTRI JESU

Christi in Cruce morientis.

Eorundemque

EXPOSITIONES

Annis Præcedentibus

Colleg. S. J. Successivè Paderb.

IN STRENAM DATÆ:

• Nunc verò

In unum Libellum

Conjunctæ,

Et Xenii loco Confraternitati

oblata.

COLONIÆ

Apud SERVATIUM NOETHEN, Bibl.

Superiorum permissu.

Anno 1709.



PRÆFATIO

Ad DD. Præsides Confraternitatis.

Admodum Reverendi, Eximii, Amplissimique Domini.

Canon, græcè κανών, latinè regula dicitur, quæ dirigit, & modum ritè vivendi, aut agendi præscribit. Eiusmodi Canones habent DD. Ecclesiastici ac Clerici unde & Canonici, sive Regulares nuncupantur. Canones quoque & Regulas suas tenent Ordines Religiosi, quibus ad finem suum & perfectionem religiosam diriguntur. Canones & Regulas habent scientiæ & artes, pictoria, statuaria, architectonica, grammatica, poetica, rhetorica, philosophia, juridica, ac Theologica, ad quas velut ad amussim, artificia, praxes, & institutiones earum conformantur. Quidni igitur & Confraternitas nostra suos sibi præ-

gat

gat Canones, quorum ductu vita sua cursum melius instituat, atque illorum adminiculo, in virtutibus statui suo consentaneis, progressum faciat, & ad perfectionem aliquantò sublimiorem, supra vulgarem Clericorum vitam, sese attollat?

Habet omnino, A. RR. Domini, habet Confraternitas Canones suos; paucos quidem illos, sed perquam utiles & ad omnem perfectionem Ecclesiasticam media efficacissima subministrantes. Horum Expositiones, aliàsque lucubrationes, rogatu vestro, eò promptiore suscepi animo, quo ex iis ampliorem latiorémque fructum, ad majorem Dei gloriam, in plures derivandum merito sperare poteram.

Etenim lucubrationes, scriptiones, labores, studia, Dei proximique amore suscepta, ac pluribus impensa, antecellere iis, quae paucioribus exhibentur; quis vestrum est, qui ambigat? Sanè dubium omne eximit S. Ignatius p. 3. Const. c. 12. asserens: Spirituale auxilium, impensum multis, anteponendū esse illi, quod praestatur paucis: Causamque mox annectit: Bonum enim quò universalius, eò divinius est: quia ni-

mirum propius ad Deum, omnibus largiter tribuentem, omnibus universim dona ac beneficia sua dispartientem, accedit; fructusque eò existit copiosior, quò in plures diffunditur; ac Dei gloria & proximi salus, magis propagatur.

Atque hæc, inter alias, A. R. R. Domini, me ratio impulit, hæc stimulos addidit, ut à vobis rogatus, jam ab annis quatuordecim & pluribus, Confraternitati huic inclyta, opellam meam tenuem, animo quàm promptissimo, ac devotissimo obtulerim; apprimè gnarus, eàque spe fretus, non in vos duntaxat & reliquos DD. Confratres, quàm Sacerdotes, quàm animarum Pastores, antehac trecentos, nunc quingentos & ultra; verùm etiam in tot millenas & millenas animas, vobis concreditas, Dei gratiâ aspirante, laboris & operæ fructum derivatum iri. Quò nihil utilius, nihil divinius reperitur. Omnium enim divinorum divinissimum est, cooperari in salutem animarum. Teste S. Dionysio de cœlesti Hierarchia c. 3.

Ea de causa, postquam A. R. D. Heidenricus Stodtbrockius Archi-presbyter
&

& Pastor Schepstrupiensis p. m. cum aliis
 Definitoribus primis, Confraternitatem
 hanc auspiciatus est; [quod ad perpetuam
 posterorum memoriam meminisse juvat]
 Ad obtinendam Romæ ejusdem Confirma-
 tionem, plurimum sanè D. D. Definitores
 Osnabrugenses contribuere; adhibita et-
 iam Illustrissimi Domini Herculis Vice-
 comitis Nuntii Apostolici Coloniensis
 commendatione. Unde & ipsi Bullam Con-
 firmationis Originalem, hodie dum as-
 servant. Ad sumptus verò colligendos,
 qui Romæ prestandi erant, A. R. D. Jo-
 annes Althoffius Pastor Kinderhausanus,
 p. m. insignis Confraternitatis amat. r ac
 zelator, operam industriamque suam se-
 dulò impendit.

Canones autem Confraternitatis A.
 R. D. Joannes Casparus Stübbius Waren-
 dorffiensium in nova Æde Pastor ac pri-
 mus Definitor p. m. componere cœpit, quos
 Reverendissimus D. Joannes Alpenus
 p. m. revidit, correxit, auxit, atque in
 eum, quem modò cernimus, ordinem re-
 degit.

Hos Canones præclarissimos, rogatu vestro, atque præcipuè primorum Præsidium, jam ab annis quatuordecim, successive, paraphrasi quadam seu expositione elucidavi; qui & vestrà & eorundem DD curà, typo vulgati atque inter DD Confratres, strenue loco, distribui sunt.

Quoniam verò Confraternitas hæc novis ac novis indies augetur incrementis, adeoque Canones, & eorum Expositiones, ad omnium manus non pervenere, consilio ac suasu vestro nunc in unum Librum conjuncti prodeunt, quò & melius asservari, & relegi crebrius, & facilius in praxin redigi valeant.

Præterea, rogatu vestro, ac nominatione primi Præsidis Confraternitatis Anno 1690 Horologium Sacerdotale lucem aspexit, quo Sacerdotibus Confraternitatis celebrandi, ceterasque diei actiones, piè sanctèque obeundi praxes suggeruntur: cujus exemplaria 300, inter totidem Confraternitatis Capita, quot tunc temporis numerabantur, vestrà industriâ ac zelo distributa sunt.

Rogatu

Rogatu vestro, Manuale Pastorum, ad
functiones virtutesque pastorales rite ob-
eundas manuducens, prodiit, cujus ex-
empla 500 vestro labore, inter DD Con-
fratres, aliosque distracta sunt.

Rogatu vestro, ac precipue primi Di-
rectoris, vestris Sororibus, Neptibus, Vir-
ginibusque devotis, Oeconomia vestra cu-
ram gerentibus in spiritu dirigendis, Re-
gula perfectionis & Ordo diei, una cum
Libro de Communionem seu synaxi sacra,
ac Virtutum Partheniarum speculo, pre-
lo subjecta, vulgataque sunt. Omnia ad
majorem Dei gloriam & Confraternita-
tis spirituale emolumentum.

Vos interea AR Eximii, & Amplissi-
mi Domini Presides ac DD. Confratres;
Authorum, Promotorum, & Benefacto-
rum Confraternitatis memoriam perpe-
tuam cum laudibus retinete; tenuem vero
opellam meam, equi bonique consulite
& non tanquam meam, sed vestram po-
tius aspiciate; ac vobis demisse oblatam
acceptate: vestris enim sanctis sacrificiis,
mensrue & hebdomadatim peractis me-
rito, quam plurimum attribuo: nam ve-

stris utique sacrificiis permota Divina Bonitas, prædicta scribendi aut peragendi voluntatem ac facultatem donavit: vestris sacrificiis, divina Sapiëntia gratiam uberem, opportuna Scripturarum ac Patrum testimonia, ac rerum momenta, inveniendi, disponendi & eloquendi concessit: vestris sacrificiis, & animarum, vi illorum, è flammis purgantibus ereptarum, cœloque assertarum, precibus, haud dubiè, fructum speratum, Benignitas divina impertivit. Atque ut is indies propagetur latius, sanctis sacrificiis, precibus, monitis, consiliis & exemplis vestris indefessè allaborate: ac demum mei, sive vivi, sive defuncti, viamque carnis universæ ingressi in sacrificiis & precibus vestris devotissimis piè mementote. Dabam Colonia Anno 1708. 20. Aprilis.

Admodum Reverendarum, Eximiarum & Amplissimarum Dominationum vestrarum, humillimus in Christo servus

Joannes Dirckinck Soc. Jesu.

CON-

CONFRATERNITATIS
ORIGO.

ANno Salvatoris 984. contractum est Romæ Sodalitium plurimorum Sacerdotum, inter quos & Episcopi adscripti sunt, ad hoc, ut post obitum singuli Consodalium Sacrificiis superstium juvarentur.

Spondanus in Epitome Annalium
Baronii ad Annum. 984.

Horum exemplo excitati Sacerdotes Westphaliæ erexerunt Confraternitatem Sacerdotum BONÆ VOLUNTATIS sub Invocatione Christi in Cruce MORIENTIS, in celebrando menstruè pro vivorum, & hebdomadariè per annum pro unius vel plurium isto anno defunctorum Consodalium salute; ac simul, ut mutuis se invicem officiis juvent, & alter alterum extimulet ad perfectionem Christianam, & cum primis Ecclesiasticam. Cui fini etiam præderunt Canones, qui sequuntur directivi, non coactivi.

CANONES
DIRECTIVI

Confraternitatis Sacerdotum
Bonæ Voluntatis.

CANON I.

Nemo admittatur, nisi habeat testi-
monium bonæ vitæ.

*Oportet enim Episcopum (Sacerdotem)
sine crimine esse, sicut Dei dispensato-
rem, non superbum, non iracundum,
non vinolentum, non percussorem, non
turpis lucri cupidum, sed hospitalem,
benignum, sobrium, justum, sanctum,
continentem. ad Tit. 1. 7.*

*Oportet autem illum & testimonium
habere bonum ab iis, qui foris sunt.
1. Tim. 3. 7.*

CANON II.

Admissus seu adscriptus, ab ipso sta-
tim adscriptiōis die incipit celebrare
quot mēibus *semel* pro Contratribus *vi-
vis*, eorūmq; profectu in virtute ac per-
fectione; Item singulis septimanis *semel*
pro

pro uno vel pluribus Confratribus *Defunctis*, at solummodo per annum, si nimirum quis vel qui è sodalities nunciati sint isto anno obiisse: cessante enim Confratrum morte cessat etiam post annum ab obitu hebdomadaria vivorum obligatio pro uno vel pluribus defunctis celebrandi, donec alius vel alii iterum significentur è vivis excessisse.

Orate pro invicem ut salvemini, multum enim valet deprecatio justis assidua. Jacobi 5. 16.

Qui justus est justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. Apoc. 22. 11.

Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. 2. Mach. 12. 46.

● A N O N III.

UNus sit perpetuus Confraternitatis Director, seu Inspector; qui in quolibet remotiore districtu suos habeat Definitores & Assistentes; quorum adunato Zelo, & admittendorum cura habeatur, & Consozialium, seu vita, seu mors, ubi id opus significetur.

Quæ sunt à Deo , ordinata sunt. Rom.

13. 1.

C A N O N IV.

Semel in anno, vel per se, vel per alium, sive etiam per litteras, singuli satisfactionem suam, & animum perseverandi, testentur Directori, vel istius districtus Assistenti.

Refrigescet charitas multorum, qui autem perseveraverit usque in finem, salvus erit. Matth. 24. 13.

Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vite. Apoc. 2. 10.

C A N O N V.

Exemplo erunt, si sæpiùs confiteantur, & quotidie celebrent ad Aram; caveant autem, ne lucri potiùs quàm devotionis causâ accedant.

Septies enim cadet justus, & resurget Proverb. 24. 16.

C A N O N VI.

Abstineant omninò ab ebrietate, & ideò, quoad fieri potest, à conviviis;
imo

imò & ab omni, quod redolere potest apud laicos, maximè infirmos.

Ebrietas omnium vitiorum fomes & nutritrix. Conc. Agath.

Noli esse in conviviiis potatorum nec in commessationibus eorum. Prov. 23.

Plures occidit gula, quàm gladius.

Vae homini illi, per quem scandalum venit. Matth. 18. 7.

CANON VII.

DEdant se studio, & in primis lectioni librorum spiritualium, è quibus spiritum Ecclesiasticum omnibus necessarium, & spiritum veræ devotionis, non tam hauriant, quàm augeant, ut plenitudine spiritus repleantur.

Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Rom. 8. 14.

Si quis spiritum Christi non habet, his non est ejus. Rom. 8. 9.

CANON VIII.

OMnes & singuli, præsertim Curati, studiosè conentur non obiter scire, sed comprehendere & penetrare ea, quæ

tàm ad sui, quàm aliorum directionem & instructionem pertinent.

*Labia sacerdotis custodient scientiam,
& legem requirent ex ore ejus. Ma-
lach. 2. 7.*

*Si quis ignorat, ignorabitur. 1. Cor. 14.
Qui nesciunt ea, quae Dei sunt, à Deo
nesciuntur.. C. qui dist. 38.*

C A N O N IX.

HAbitu utantur communi, simplici,
honesto & modesto: Studeant place-
re moribus, non vestibus.

*Et erit in die hostiae Domini, visitabo su-
per omnes, qui induti sunt veste pere-
grinâ. Sophon. 1. 8.*

*Utinam omnes incederent induti veste
calari! C. non dist. 23.*

C A N O N X.

IN omni convivio Sacerdotali lectio sa-
cra misceatur.

*Qui ex Deo est, verba Dei audit. Joan.
8. 47.*

*Tolluntur otiose fabula, ubi est lectio
sacra scriptura. C. pro reverentia
Dist. 44.*

CA-

CANON XI.

Tempus impendant sedulo, neglectum bonis operibus redimant, & quoniam à tempore ritè impenso ferè pendet tota hominis salus, quò securiùs per id gradiantur, pro suo quisque statu certum sibi præscribat diei ordinem, eique tenaciter inhæreat, nisi charitas ad aliud invitet, aut necessitas compellat.

Fili, conserva tempus, & devita à malo.

Eccl. 4. 23.

Omni negotio tempus est. Eccl. 6. 8.

Videte Fratres, quomodo cautè ambulatis redimentes tempus. Ephes. 5. 15.

Redimit tempus qui subtrahit illud sæculo, ut vacet Deo. S. Aug.

CANON XII.

Vacent aliquoties per diem orationi mentali.

In matutinis meditabor in te. Ps. 62. 7.

Quomodo dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea est. Ps. 118.

Meditabor in omnibus operibus tuis.

Psalm. 76. 12.

CA-

CANON XIII.

Hortatur Confraternitas, ut semel in Anno ab externis negotiis & conversationibus ad dies aliquot se retrahant, & in pio hoc recessu per spiritualia exercitia teporem omnem ejiciant, ac spiritum recolligant.

Quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

Apoc. 3. 16.

Ducam eam in solitudinem & loquar ad cor ejus. Osee 2. 14.

O sancta solitudo!

CANON XIV.

Habeat quis Confratrem probatae vitae, qui affectuose & suaviter, seu literis seu verbis moneat & corrigat, si quid minus decorum, aut ipse notaverit, aut fama divulgaverit; qui & in extremis assistat; & obitum Confraternitati denunciet.

Si peccaverit in te Frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Matth. 18. 15.

S. Carolus Borrom. duos habuit Monitores.

Divinorum divinissimum cooperari salutem animarum. S. Dionysius.

BULLA

CONFIRMATIONIS.

INNOCENTIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Archi-Episcopi Coloniensis per Diocesin Osnabrugensem in Ecclesiasticis Constituto, & Episcopi Paderbornensis venerabilium fratrum nostrorum Officialibus Salutem & Apostolicam Benedictionem. In Apostolicæ dignitatis solio meritis licet imparibus constituti ad ea libenter intendimus, per quæ piæ Christi fidelium Confraternitates ad majus divini cultus augmentum erectæ, spiritualium gratiarum muneribus decorentur, ut Confratres ipsi post hujus vitæ cursum Salvatoris nostri misericordiâ facilius æterna gaudia consequantur, & cum id à nobis petitur, libenter officii nostri

stri partes favorabiliter interponimus, & ea, quæ propterea providè facta fuisse dicuntur, Apostolicæ firmitatis munimine roboramus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Dilectorum filiorum modernorum Inspectoris & Definitorum aliorumque Confratrum infra scriptæ Fraternalitatis petitio continebat, quod aliàs videlicet de Anno Domini Millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, una pia & devota Confraternitas ex Sacerdotibus Monasteriensis & Osnabrugensis Civitatum & Diocesium nec non provinciæ Lingensis eisdem vicinæ, aliàs pro tempore existenti Archi-Episcope Ultrajectensi, nunc verò Vicario per Confœderatum Belgium Apostolicâ auctoritate deputato in spiritualibus subjectæ duraxat, de quorum numero infra scripti Christophorus & Joannes Episcopi extiterunt, consistens per bonæ Memoræ Christophorum dum viveret Episcopum Monasteriensem, & Joannem etiam dum viveret Episcopum Castoriensem per dictum Belgium Vicarium Apostolicum, prædictum
ad

ad instar similis Confraternitatis, quæ in
 alma urbe usque de Anno ejusdem Domi-
 ni nongentesimo octuagesimo quarto *teste*
Spondano erecta fuisse asseritur, ordinariâ
 eorum auctoritate aut aliâs canonicè ere-
 cta, & instituta fuit, & tunc existentes In-
 spector, & Definitores aliique primo dictæ
 Confraternitatis Officiales & Confratres
 providè considerantes, singulas quasque
 Confraternitates, quæ sub statutis, & re-
 gulis diriguntur, & observatione statuto-
 rum, & regularum hujusmodi augmen-
 tum in spiritualibus & temporalibus reci-
 pere & earum statum prosperè & feliciter
 passim progredi & augeri consuevisse ;
 Ideo de statu dictæ eorum Confraternita-
 tis sub aliquorum hujusmodi statutorum
 auspiciis meliùs & faciliùs dirigendo pro-
 movendoque solliciti, statuerunt & ordi-
 naverunt, quod singuli Sacerdotes in dicta
 Confraternitate descripti & pro tempore
 describendi, unam quolibet Mense pro
 felici morte confratrum dictæ Confrater-
 nitatis à Deo impetrandâ & alteram de re-
 quietem nuncupatam Missas singulis Heb-
 domadis pro refrigerio animæ illius Con-
 fratris

fratris , quem ab hac vita decedere contigerit celebrare teneantur ; quod si plures dictæ confraternitatis confratres illo anno discesserint , huiusmodi obligationi satisfacient Missam unam de Requiem , ut præfatur hebdomodatim celebrando , ubi tamen numerum singularem mutabunt in pluralem , juxta rubricam Missalis Romani , vel dicta Missa applicari poterit ad libitum Sacerdotis celebrantis , cum hoc tamen , quod singulis saltem annis quilibet ex dictæ confraternitatis confratribus Definitori suæ Provinciæ sese obligationi prædictæ satisfecisse in scriptis propriae ejus manu firmatis significare teneatur ; Si autem anno integro elapso respondere neglexerit , eo ipso se à dictâ confraternitate exclusum esse sciat , quodque si quis ex dictæ confraternitatis confratribus ægrotaverit , poterit unum è dicta confraternitate eligere , & assumere , qui ei consilio & opere assistere teneatur , & ipso legitime impedito , quo minus id per se ipsum præstare possit , alterum ad hoc substituere & nominare licebit. Inspector autem dictæ confraternitatis , qui ipsius

caput

caput existat, primâ ex Lingensibus, secundâ ex Monasteriensibus, & tertiâ denique vicibus ex Osnabrugensibus respectivè Sacerdotibus perdictæ confraternitatis Definitorum servatâ semper eadem formâ eligi debeat, & ipsius Inspectoris officium perpetuum sit, nisi ob sufficienter moventes & validas causas illo fungi nolit; in qualibet ex prædictis provinciis designetur proprius Definitor cum uno alterove Assistente & Promotoribus, quorum officium nisi per obitum vacet Triennale sit: Definitorum eligant Assistentes & Promotores Provinciales, hi verò nominentur à Definitore, cui licebit de consilio saltem Assistentium volentes in dicta confraternitate describi, in album referre, convenientque Definitorum prædicti cum dicto Inspectore singulis annis in loco quasi Meditullii, die ad id per dictum Inspectorem indicto, pro rebus dictæ confraternitatis utiliter disponendis. Insuper si quem ex dictæ confraternitatis confratribus obire contigerit, illius obitus statim denunciatur Definitori Provinciali, qui si occasio propinqua defuerit, cum adminiculo Assistentium

tium

tium & Promotorum suorum, & expensis dictæ Confraternitatis, id aliarum provinciarum Definitoribus quantocius per proprium nuncium significari procuret. Denique singuli dictæ Confraternitatis Confratres quasi unius corporis Membra se invicem adjuvent, & data occasione literis, aut verbis invitentur ad præmissa dictæ Fraternitatis statuta sedulo observanda, prout in scripturis publicis desuper confectis plenius continetur. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat dicta Confraternitas ad laudem & gloriam omnipotentis Dei populique illarum partium ædificationem, & animarum in purgatorio detentarum refrigerium erecta, & instituta, nec non statuta & ordinationes hujusmodi, quæ jam dicta ordinaria auctoritate approbata fuerunt, pro illius felici directione facta fuisse dignoscantur, & exinde Zelus pugnandi pro fide Catholica, qui per irrepentem hæresin haud parumper defecit, omnino reviviscere speratur, ac Christi fideles ad sacrosanctum Missæ sacrificium audiendum per amplius propterea invitentur. Ea verò quæ per
Sedem

Sedem Apostolicam approbantur & confirmantur firmitus subsistere, & melius ab omnibus observari soleant, proindeque moderni Inspector & Definitorum aliique Confratres præfati dictæ Confraternitatis plurimum cupiant Confraternitatis prædictæ erectionem, ac statuta & ordinationes hujusmodi pro firmiori earum subsistentiâ & observatione inviolabili nostro, & ejusdem Sedis Patrocinio & munimine roborari. Quare pro parte modernorum Inspectoris & Definitorum aliorumque Confratrum præfatorum dictæ Confraternitatis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur eosdem modernos Inspectorem & Definitorum, aliosque Confratres dictæ Confraternitatis specialis gratiæ favore prosequi volentes, nec non eorum singulos à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum tantum præsentium

B

con-

consequendum harum serie absolventes
 & absolutos fore censentes, ac dictarum
 scripturarum, & legitimè secutorum quo-
 rumcunque tenores etiam veriores præ-
 missis tamen minime contrarios præsen-
 tibus pro expressis habentes, hujusmodi
 supplicationibus inclinati ex voto Con-
 gregationis venerabilium fratrum nostro-
 rum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina-
 lium Concilii Tridentini Interpretum di-
 cretioni vestræ, attento quod Sedes Epi-
 scopalis Monasteriensis ad præsens vacat
 & ut moderni Inspector ac Definitores
 liique Confratres præfati dictæ Con-
 fraternitatis Venerabilis etiam Frater noster
 Episcopus Paderbornensis etiam quo ad
 dictam Provinciam Lingensem ordinari
 Vicinior existit, per Apostolica scripta
 mandamus, quatenus veris existentibus
 narratis prædictam erectionem Con-
 fraternitatis hujusmodi sub invocatione Do-
 mini Nostri Jesu Christi in Cruce Morien-
 tis, nec non omnia & singula statuta & or-
 dinationes hujusmodi ac desuper confe-
 ctas scripturas hujusmodi & in eis conten-
 ta quæcunque licita tamen & honesta, ac
 sacris

entes sacris Canonibus & Constitutionibus A-
 arum postolicis ac Concilii Tridentini Decretis
 quo- nimirè contraria, cum omnibus & singu-
 præ- lis inde legitimè secutis & sequendis pro
 lenti- vestris arbitrio & conscientia gratis aucto-
 inodi- ritate nostrâ perpetuo approbetis & con-
 Con- firmetis, illisque perpetuæ & inviolabilis
 stro- Apostolicæ firmitatis robur adjiciatis, ac
 dina- omnes & singulos tam juris quam facti, ac
 in dif- quosvis alios etiam quantumvis substan-
 Epi- tiales defectus, si qui desuper quomodo-
 acat- libet intervenerint, & intervenisse dici
 res a- possint, in eisdem suppleatis, ac statuta, &
 infra- ordinationes hujusmodi perpetuo valida
 noste- & efficacia fore & esse suosque plenarios
 to at- & integros effectus fortiri & obtinere, ac
 ariu- tam per modernos Inspectorem ac Defini-
 ript- tores, & alios nunc, quam pro tempore ex-
 tribu- istentes dict. Confraternitatis Confratres
 infra- perpetuo firmiter & inviolabiliter obser-
 Do- vari & adimpleri debere, & ab eis nullo
 rien- unquam tempore quovis prætextu, colo-
 & or- re vel ingenio resiliiri vel recedi posse, & si
 onfe- secus super his à quocunque quavis au-
 tate- ctoritate scienter vel ignoranter conti-
 , at- gerit attentari, irritum & inane dictâ
 is

auctoritate nostrâ decernatis ; Præterea-
 que ut dicta Confraternitas, cujus Confrat-
 res diversa pietatis & Charitatis ac miseri-
 cordiæ opera exercere consueverunt, ma-
 jora incrementa spiritualia suscipiat de
 omnipotentis Dei misericordia ac Beato-
 rum Petri & Pauli Apostolorum ejus au-
 ctoritate confisi, omnibus & singulis Mo-
 nasteriensis & Osnabrugensis Civitatum &
 Diœcesium hujusmodi, ac prædictæ Pro-
 vinciæ Sacerdotibus verè pœnitentibus &
 confessis, qui de cœtero prædictam Fra-
 ternitatem ingredientur, die primâ eorum
 ingressus, si sanctissimum Eucharistiæ Sa-
 cramentum sumpserint, ac tam ad præ-
 sens, quam pro tempore existentibus eju-
 dem Confraternitatis Confratribus etiam
 verè pœnitentibus & confessis sacraque
 communione, si id commode fieri possit
 refectis, vel saltem contritis in cujuslibet
 illorum mortis Articulo pium Nomen Jesu
 corde, si ore nequiverint devotè invocari
 tibus eisdemque Confratribus etiam verè
 pœnitentibus & confessis, ac dictâ com-
 munionem refectis, qui Missam hujusmodi
 celebraverint, & alia præmissa opera pi-
 exer-

exercuerint, ac pro Christianorum Prin-
cipum pace & concordia, ac sanctæ Ma-
tris Ecclesiæ exaltatione & Hæresum ex-
tirpatione preces Deo effuderint, semel
duntaxat singulis quatuor anni tempori-
bus per unumquemque ex prædictæ Con-
fraternitatis Confratribus hujusmodi lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem perpetuo auctoritate nostrâ prædictâ concedatis & indulgeatis, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cœterisque contrariis quibuscunque: Volumus autem, quod si dicta Confraternitas alicui Archi-Confraternitati aggregata sit, vel imposterum aggregetur, seu quavis alia ratione vel causa pro illius indulgentiis consequendis, aut de illis participandis uniatum, vel aliâs quomodolibet instituat, priores, seu quævis aliæ litteræ desuper obtentæ præterquam præsentibus nullatenus suffragentur, sed ex tunc prorsus nullæ sint eo ipso. Quodque si Confratribus præactis ratione præmissorum, aut aliâs aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad certum tempus nondum elapsam dura-

nura per nos concessa fuerit, eadem præ-
sentes nullius sint roboris vel momenti.
Datum Romæ apud sanctam Mariam ma-
jorem Anno Incarnationis Dominicæ Mil-
lesimo sexcentesimo octuagesimo septi-
mo, quinto idus Augusti, Pontificatus
nostri Anno undecimo.

(L. S.)

J. CIUCHIUS.

H. S. COSTA.

*Confirmatio Archi-Episcopalis Co-
loniænsis.*

CRato Wernerus liber Baro de Pal-
landt Serenissimi & Reverendissimi
Principis ac Domini Domini Maximiliani
Henrici Archi-Episcopi & Principis Ele-
ctoris Coloniensis &c. per Civitatem &
Diœcesin Osnabrugensem in Spiritualibus
deputatus Vicarius Metropolitanus
Generalis, & Cathedralis Ecclesiæ Osnab-
rugensis Decanus, universis ac singulis
has nostras litteras visuris, legive auditoris
salutem in Domino.

Præsentatæ nobis fuerunt nuper pro
parte

parte venerabilium nobisque dilectorum pro tempore Inspectoris & Definitorum aliorumque Contratum Confraternitatis Sacerdotum Bonæ voluntatis nuncupatæ litteræ Apostolicæ SSmi Domini nostri Innocentii Papæ undecimi sub plumbo in filis canabicus appendente, tenoris sequentis. *Vide litteras Apostolicas supra.*

Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem & receptionem, Nobis & per Nos (uti præmittitur) cum debitâ Sedis Apostolicæ reverentiâ factas, fuimus pro parte Officialiû, aliorumque Contratum supradictæ Confraternitatis debito modo requisiti, ut eandem Confraternitatem authoritate Apostolicâ nobis delegatâ in perpetuum confirmaremus, eidemque Confraternitati Indulgentias concederemus.

Nos igitur volentes Mandatum Apostolicum exequi (cum narrata in litteris Apostolicis vera existant) prædictam Confraternitatē sub titulo seu Invocatione D. N. Jesu Christi in Cruce morientis nec non omnes & singulas ejusdē Confraternitatis ordinationes & constitutiones auctoritate

Apostolicâ nobis delegatâ in perpetuum approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, cum clausulis in prædictis litteris Apostolicis fusiùs contentis, nec non constitutiones & ordinationes hujusmodi perpetuo validas & efficaces fore & esse, suisque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac tam per modernos Inspectorem & Definitorum aliosque dictæ confraternitatis Sacerdotes perpetuo firmiter observari debere, ut si secus super his à quoquam quomodolibet contigerit attentari, irritum & inane id ipsum decernimus, prætereaque ut prædictæ Confraternitatis Sacerdotes juxta tenorem litterarum Apostolicarum Indulgentiis in perpetuum gaudere possint, Autoritate Apostol. Nobis delegatâ concedimus & indulgemus. *In quorum fidem præsentem manu propriâ subscripsimus, & officii nostri sigillo communiri fecimus. Osnabrugi in curia Decanali Cathedralis Ecclesiæ die tertia Mensis Maij Anno 1688.*

(L. S.)

C. W. BARON de PAL-
LANDT, m. p.

Con-

Confirmatio Episcopalis Paderb.

Jodocus Frihoff SS. Theologiæ Do-
ctor Rmi & Celsissimi Principis & Epi-
scopi Paderbornensis in Ecclesiasticis
Consiliarius, nec non per Civitatem &
Diœcesin Paderbornensem in Spiritual.
Vicarius Generalis Executor & Commis-
sarius ad infrascripta à Sanctissimo in
Christo Patre ac Dno Dno Innocentio
Papa ejus nominis undecimo specialiter
deputatus universis ac singulis præsentis
nostras litteras visuris lecturis seu legi au-
dituris salutem in Dno sempiternam &c.
Litteras Apostolicas præfati Sanctissimi
Dni nostri Papæ ejus verò Bulla plumbea
cum cordula canabea more Romanæ Cu-
riæ impendente bullatas sanas quidem &
integras non vitiatas non cancellatas ne-
que in aliqua sui parte suspectas, sed omni
prorsus vitio & suspicione, uti in eis primâ
facie apparebat carentes nobis à parte Of-
ficialium aliorumq; Confratrum Confra-
ternitatis sub Invocatione Dni nostri Jesu
Christi in cruce morientis præsentatas,
vos cum ea quâ decuit reverentiâ recepisse

noveritis hujusmodi sub tenore. *Ut supra.*
 Post quarum quidem litterarum Apo-
 stolicarum verbotenus præinsertarum
 præsentationem & receptionem Nobis &
 per Nos uti præmittitur factam, fuimus
 per Officiales aliosque Confratres Con-
 fraternitatis sub Invocatione D. N. Jesu
 Christi in Cruce morientis requisiti, quate-
 nus ad earundem executionem procederent
 Fraternitatem confirmare & Indulgentiarum
 autoritate Apostolicâ Nobis delegatarum
 concedere dignaremur. Nos igitur Vice-
 rius Generalis Executor & Commissarius
 Apostolicus antedictus volentes manda-
 tum altè memorati SSmi Dn. N. Papæ in
 hac parte directi, ritè uti tenemur exequi
 contentis & narratis earundem litterarum
 Apostolicarum diligentem Inquisitionem
 instituimus: & quia ex illa certo compen-
 dimus, quod narrata in litteris Apostolicis
 veritate nitantur, prænominatam Confrater-
 nitate, nec non omnes & singulas
 Confraternitati sordinationes & constitu-
 tiones autoritate Apostolicâ Nobis de-
 legatâ in perpetuum approbamus & confir-
 mamus: illisque perpetuæ & inviolabi-
 lis

his Apostolicæ firmitatis robur adieimus, nec non eadem autoritate, ut prædictæ Confirmationis Sacerdotes juxta tenorem literarum Apostolicarum Indulgentiis in perpetuum gaudere possint, concedimus & indulgemus. *In quorum fidem presentes manu nostrâ subscriptas, sigillo Celsissimi & Reverendissimi Principis & Episcopi Paderbornensis communiri fecimus, in Aula & Residentia ejusdem Neuhusana 17. Maij 1688.*

(L.S.) JODOCUS FRIHOFF,
Vicar. Gen. Paderb.

EXPOSITIONES
CANONUM
CONFRATERNITATIS.

Duplex Fraternitati nostræ Anno 1661. inchoatæ & Anno 1688. auctoritate Pontificiâ confirmatæ præstitutus est finis. Primus est, Missæ Sacrificiis Confratribus defunctis salutem, vivis gratiam impetrare: quo quid utilius, quid præstantius & efficacius esse potest? si

enim Redemptor noster infallibiliter impetrandum promiserit, quidquid duo vel tres in oratione consentientes petierint; quid non impetrabunt, non tres, sed trecenti & plures, quos numeramus, Sacerdotes, non tantum orantes, sed & valoris infiniti Sacrificium menstruè pro vivis, hebdomadariè pro defunctis Altissimo offerentes? Finis alter est, nos mutuò ad perfectionem Christianam & cum primis Ecclesiasticam extimulare; atque ut loquitur Sanctissimus Pontifex Innocentius XI in Bulla Confirmationis, *Quasi unius corporis membra sese invicem adjuvare, & datâ occasione, literis aut verbis ad Fraternalitatis Statuta, seu Canones observandos invitare.* Huic piæ Sanctitatis summenti ut obsecundemus, visum est, literis hisce paræneticis, Fraternalitati nostræ Canones declarandos suscipere, quò ad accuratorem eorum observantiam excitemur.

* * *
* *

CANON

CANON I.

*Nemo admittatur, nisi habeat testi-
monium bonæ vitæ.*

CELSISSIME,

ILLUSTRISSIMI, REVERENDISSIMI
Perillustres, Prænobiles, Amplissimi, Ad-
modum Reverendi, ac Venerabiles
Domini Confratres.

CAnone hoc Confraternitas nostra ex-
cludit Sacerdotes malos; ex quo colli-
gitur quod non desideret, optetve, nisi
bonos: quinam verò boni sunt, nisi qui vi-
tam statui suo, sive sacerdotali, sive Pasto-
rali congruentem agunt; ejusque testimo-
nium non solum à mundo & hominibus,
verum etiam à Deo & Cœlitibus obtinent.
Quid enim, *existimatis?*

I. Num ille censendus esset vitæ bonæ
habere testimonium, qui foris audiret Sa-
cerdos bonus & Pastor egregius; qui can-
taret ut Angelus, peroraret ut Chryosto-
mus, in conversatione omnes sibi devinci-

ret ut Salesius, ægros inviseret, pauperes
solaretur, pœnitentes audiret, ut Borro
maeus, omnibus omnia factus esset ut Apo
stolus; plus dico, prodigia patraret ut
Thaumaturgus; & tamen intus cauteria
tam circumferret conscientiam, fervere
iracundiâ, tabesceret invidiâ, studeret ava
ritiæ, gulæ vacaret & luxuriæ; verbo, non
bonus Ecclesiasticus, sed malus Phariseus,
non veræ virtutis sectator, sed fictus simu
lator, templum Ægyptium, pomum Go
morrhæum, sepulchrum dealbatum, foris
speciosum, intus plenum vermibus & ossi
bus mortuorum? Fateor qui hujusmodi
foret, posset fortasse bonæ vitæ testimo
nium obtinere ab homine, exteriora so
lùm dijudicante; at minimè à supremo
Numine, Cardiagnoste, seu cordium Scruta
tore.

DD. *Confratres*, si fortasse inter nos
[quibus solùm externa patent, interiora
latent] quispiam irrepsisset, quod nequa
quam speramus, hujus farinæ Sacerdos
is obsecro seriò cogitet, quid falsum & er
roneum mundi iudicium, absque vero Dei
calculo prosit. Quid juvat, si mundus ut

virum

virum eximium, inò ut sanctum deprædi-
 cet. Deus autem iudex justus, ut impium
 & hypocritam damnet; qui dicat & non
 faciat, ut hypocrita; qui aliis viam mon-
 stret, & ipse pedem non moveat, ut trivialis
 statuæ; qui alios ad templum convocet,
 ipse foris maneat, ut campanæ? Qui sibi
 nequam, cui bonus? *Si sapiens fueris, ti-
 bimet ipsi eris*; ait Salomon Regum sa-
 pientissimus Proverb. 9. Licet enim majore,
 quàm Salomon, scientiâ & sapientiâ
 fulgeas, licet præclare alios doceas, in
 concionibus & colloquiis mille parabo-
 las, mille sententias & proverbia docta
 profundas, & cum Salomone [quod mul-
 ti SS. Patres censent] ad infernum descen-
 das; nonne cum eodem, jure & verè di-
 ces: *Stultissimus sum virorum, non novi
 scientiam Sanctorum.* Prov. 30. ? Ita est:
 ille enim verè est sapiens, & benè intelli-
 gens, qui, quæ salutis & perfectionis sunt,
 scit & facit: *Intellectus bonus omnibus fa-
 cientibus eum.* Psal. 110. Crebrò itaque
 mente volvat admirandam Servatoris no-
 stri sententiam Matth. 16. prolatam.

Quid prodest homini, si mundum

*universum lucretur, anima verò sua detri-
mentum patiatur? Quid prodest per Sa-
cramenta alios à peccatis emundare, &
seipsum immunditiis & scelerum sordibus
conspurare? Quid prodest, peccatorum
pericula & damna horrenda, aliis decli-
nanda monstrare, & monstrata in seipso
non declinare? Quid prodest, absolutio-
nis beneficio è peccantium cordibus da-
monia ejicere, & in cor suum tot dæmo-
nia, quot vitia capitalia intromittere? Qui-
denique prodest, bene prædicando alios
ab inferno retrahere, & malè vivendo
ipsum in perpetua orci incendia præcipi-
tare? Præclarè & verè S. Eucherius, cum
in Epistola Valeriano nepoti suo, prædica-
tæternæ veritatis verba: *Quid prodest ho-
mini &c.* inculcasset, sic concludit: Pro-
inde non potest ulla compendii causa con-
sistere, si constat animæ intervenire dis-
pendium; ubi salutis damnum est, illi
utique jam lucrum nullum est: animæ
missio, est gratiæ, gloriæ, beatitudinis, De-
& omnium bonorum perditio.*

II. E contra verò, num vitæ bonæ testi-
monio dignus censebitur Sacerdos ille
seu

Pastor animarum , qui sibi uni attendit, pietatem colit, orationi vacat, bonam honestamque vitam instituit, à juramentis ac mendaciis abhorret, gulam, crapulam levitatemque devitat, conditionem suam non excedit, moderatur luxum in vestitu & familia; interea tamen quæ pastoralis officii sunt, negligit, mille obligationes in eo latentes tam modicè curat, ac si sua non interesset, scandala pro viribus non tollit, peccatorum occasiones remove non studet, dissidentes non conciliat, infirmos non visitat, rudes non catechizat, verbum Dei absque debita præparatione, nec pro captu populi annuntiat, jejunia violari, festa profanari, conciones & sacrificia negligi, impunè sinit, gulæ, luxuriæ, inimicitia, injustitiæ, ebrietatis, detractio- nis, aliorumque scelerum gravitatem ac pœnas non studiosè & fervidè populo inculcat; verbo, obligationem suam non apprehendit, ac proinde curas deponit, officium neglectum flocci pendit, reprehensiones & commonitiones omittit, quæ omnia fomes sunt innumerabilium scelerum, & damnorum irreparabilium origo,

quæ

quæ sedulâ pastoralis officii administ-
tione aut præpedire possent, aut sufflan-
nare; & nihilominus vitæ probatæ el-
gium se promereri autumat? quale ve-
illi testimonium debeat, divina disce-
pronuntiant oracula.

Viri illi Deo abominabiles de Senio-
bus Israël, Sacerdotes & Judices, qui,
Propheta Ezechiel c. 8. describit: *Stabant*
contra templum Domini, & facies habebant
ad orientem, & applicabant ramos
ad nares suas. Hi, inquam, quieti & pa-
fici erant, nulli inferebant malum, non
rabantur, non dedebant se voluptatibus
non adolebant thura idolis, non plange-
bant cum mulieribus Adonidem vene-
amatum, ut sanctus vates perspicuè enun-
rat: & nihilominus Deus affirmat, illos esse
peiores idololatri, lasciviores voluptu-
sis & magis detestabiles, quam illi, qui ab-
rabantur, qui mentiebantur, & occide-
bant per tribus & familias. Quamobrem
verò? Quid, obsecro, mali perpetrant Sta-
niores illi? an vetulo Sacerdoti, aut anno-
so Judici non liceat quiescere, & ramo
quo nares oblectare? Advertite hoc bene.

Olfacere ramusculum, seu otiosè qui-
 escere, atque officii sui partes non exple-
 re, in Prælato, in Judice, in Sacerdote,
 Christi ministro & animarum curatore
 pejus est, quàm quod pessimum, idolola-
 trare: idem enim illi agebant, quod, dum
 poterant, non impediebant, non impe-
 dire, cùm possis, consentire est; consen-
 tire peccantibus, peccare. Illi thus ado-
 lebant idolis, quia quos videbant idolola-
 trare, non castigabant: illi occidebant
 & furabantur, quia fures & homicidas in
 officio non continebant. Fures furaban-
 tur duntaxat; at illi in omnibus & cum o-
 mnibus omnino furabantur: quia tametsi
 ad eorum arcas non subintraret æs alie-
 num; subibat tamen animos illorum par
 omnibus furtis peccatum omissionis, erat
 que efficax causa omnium furtorum, quæ
 ab aliis patrabantur. Atque hoc est Spiri-
 tus Sancti testimonium, quod vel ipsa ra-
 tio confirmat. Videre enim peste con-
 tactos liberè in populo vagari, & pro
 officio suo non arcere: cernere faces do-
 mui admoveri ab incendiario, & non
 clamare: pago vel urbe conflagrante,
 Pasto-

Pastorem animarum se calefacere ad pro
nas vitiorum; non est hoc, se calefacere
sed incendere & concremare, est dare pa
bulum flammis vitiorum, & contagio
nem, pestem, interitum pago vel civitate
accersere.

Domini Confratres. Si peccata aliena
solicitudinâ Parochorum evadunt propria
quomodo, si officio nostro defuerimus
de tot peccatis alienis, & jam propriis, quomodo
premo Judici rationem reddemus? Quo
modo tot oves curæ nostræ commissas
nostrâque incuriâ à lupo infernali devoratas
in judicio contra Nos clamantes
ignaviam nostram accusantes audire & sustinere
poterimus? O si penetraremus pretium
vel unius animæ à Deo ad imaginem
& similitudinem suam conditæ, pretium
magno, imò maximo, scilicet pretiosissimo
mo JESU sanguine redemptæ; animæ, in
quam, spiritualis, indivisibilis, immortalis;
capacis gratiæ, hæredis gloriæ, sororis
Angelorum & sociæ, Patris æterni filia
dilectæ Christi Sponsæ, tabernaculi Spiritus
Sancti, consecrati templi Sanctissimæ
Trinitatis! quâ curâ eam pascere, quomodo

labo-

labore à luporum faucibus custodiremus?
O si perspiceremus, quid sit, vel unam hu-
jusmodi animam, Deum O. M. æternum,
immensum, infinitum, in cœlesti patriâ
cum omnibus sanctis perpetuò amare, lau-
dare & glorificare, sine cessatione, sine de-
fatigatione, sine fine! sanè hæ laudes, cum
infinite sint, haud dubiè omnium homi-
num laudes in hoc mundo præcisè, ab
exordio ad finem, utpote finitas, infinite
superant. O si cognosceremus, quid sit,
vel unam animam, ardere sepultam in in-
ferno, ibidémque Deum Creatorem ac
Redemptorem suum execrari, maledicere
& blasphemare in æternum, in æternum,
in æternum! quæ maledicta & blasphe-
miæ infinite & infinitum duraturæ, om-
nium in hoc mundo desperatorum & sce-
lestorum, qui unquam fuerunt, sunt &
erunt, diras & blasphemias simul sumptas
longissime excedunt. Hæc si fide vivâ ap-
prehenderemus, hæc si assiduè meditare-
mur, & non obiter ponderaremus, nemo
nostrum corpori suo, sacco stercorum, &
escæ vermium; nemo agris, equis & vaccis
suis plures horas insumeret, quàm ani-
mabus

mabus adeò nobiles, nemo ovicularum suam peccati scabie aut hæresis peste infectam, relictis tantisper nonaginta novem non quæreret, instrueret, argueret, obsecraret, increparet, & Apostoli more, cum lacrymis moneret: nemo non precibus publicis & privatis, jejuniis & sacrificiis ciliis & catenis, flagellis & chameum divinam justitiam placare, & ad gratiam misericordiam concedendam flectere ac permoveere studeret, ut errantem oviculam inveniret, inventam ad ovile reduceret, atque ita gaudium in cælis Deo & Angelis, majus quàm super nonaginta novem justis conciliaret. Denique nemo non alacriter quoscunque subiret labores & libentius quàm Jacob pro ovibus Laban Gen. 30. diu noctuque æstu ureretur & gelu, solum numque fugere sineret ab oculis, ut unam oviculam, animam unicam, atque perdendam præservaret, aut perditam recuperaret, eamque perpetuis inferni cruciatibus eriperet, & gaudiis cæli inferni sempiternis.

III. Quod si nec primus, nec secundus de quo diximus, vitæ bonæ testimonium sit

sit dignus, quo jure id prætendet, qui in u-
 infetroque prædicto deficit, nec animam cu-
 vens propriam, nec alienam, Christianus
 oblemalus, pejor Sacerdos, Pastor pessimus
 cui[qualem, laus Deo, in Confraternitate
 ecib[bonæ voluntatis, non reperimus] talis
 ficu[enim jam judicatus est, locusque illi jam
 euni[paratus in inferno, nisi maturè peccata sua
 atian[defleat. In hujusmodi acriter invehitur
 ermo[Deus per os Zachariæ Prophetæ excla-
 inw[mantis c. 11. *O Pastor, & idolum derelin-*
 atq[quens gregem! id est, videris esse populi
 s, m[*Pastor, sed revera es idolum & larva Pa-*
 just[storis, oculos habens & non videns tuum,
 acrit[oviūmque præcipitium; aures habens &
 ntius[non audiens Dei monitum; manus habens
 n. 3[& non palpans præsens periculum: os ha-
 for[bens, sed non loquens ac inculcans Dei ju-
 ut v[*dicium & intentatum supplicium. Tali-*
 , at[bus jam olim per Ezechielem commina-
 am r[*tus est Dominus c. 34. Væ Pastoribus*
 ni cru[*Israël, qui pascebant semetipsos! lac come-*
 inferr[*debatis, & lanis operiebamini, quod cras-*
 sum erat, occidebatis, gregem autem meum
 indu[*non pascebatis. Quod infirmum fuit, non*
 mon[*consolidastis: quod egrotum, non sa-*
 sit[*nastis:*

nastis: quod confractum, non alligastis, quod abjectum, non reduxistis: quod perierat, non quaesivistis. Propterea Pastores audite verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super Pastores, requiram gregem meum de manu eorum.

DD. Confratres. Cui non ambæ aut tinniant ad horrendum illud væ: Væ Pastoribus, qui pascebant semetipsos! Qui non terreant minæ Domini terribiles: Ego ipse requiram gregem meum de manu eorum: scilicet in magno illo & decreto die, quando de ovibus singulis, Pastore strictissima ratio reddenda erit. Quod grave ac durum Parocho negligenti tunc accidet, coram Angelis, Sanctis & Damnantibus à Domino audire: O Pastor, ô laceratum! Ego te vocavi, ego te elegi ex milibus, & Pastorem tot centenarum ovium constitui, ut eas mei loco, verbo & oratione, exemplis & Sacramentis pasceres; verò, quod infirmum fuit, non consolavastis, quod amissum, non quaesivisti; lanam & carnes ovium sumpstisti, sed te ipsum, non illas pavisti! O Pastor, & idololatriam derelinquens gregem! O quàm felix tuus erit

erit, cui cum Redemptore dicere licebit :
Quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quen-
quam! Quam è contra infelix, cujus culpâ
 anima vel unica periit, justè propterea Pa-
 storem suum in judicio accusatura, & in
 inferno maledictura in æternum!

Objiciet hîc fortè quispiam, si tam se-
 vera à Parochis exigenda foret ratio, quis
 susciperet curam animarum? Sic est: hæc
 si plures benè perpenderent, non ita ad
 beneficium curatum currerent, & quidem
 eò celerius, quò illud est pinguius. Sanè
 hoc reddendæ rationis onus justo timore
 viros percelluit etiam sanctissimos. Hinc
 S. Gregorius antro se abdidit, ne in caput
 Ecclesiæ assumeretur: hinc latebras quæsi-
 vit Chrysostomus, hinc clàm Mediolani
 oberrabat Ambrosius; ne honos & onus
 animarum sibi imponeretur. Amplius
 quid fecit S. Nilamon, qui cùm adigere-
 tur Episcopi munus suscipere, postulavit
 pauxillum temporis, quo in conclavi
 Deum per orationem consuleret; intra-
 vit, oravit & in ipsa oratione animam Deo
 reddidit, mortem præeligens dignitati &
 oneri reddendæ rationis de oyibus suis.

C

Ad-

Admirandus est quoque ille Episcopus
 qui ex ritu Pontificalis interrogatus, nun-
 se obstringeret ad dandam Deo rationem
 pro animabus sibi commissis, surgens
 solio, vestibus sese Episcopalibus exultans
 contestatus se cum hoc onere honore
 nolle, lachrymansq; profugit ad montes

Advertamus obsecro id bene: Ad quod
 obstringitur Episcopus in Diocesi sua;
 Pontifex in universâ Ecclesiâ, ad idem
 rochus tenetur in suâ parœciâ; in quâ
 quasi minor quidam Episcopus. Multum
 accepisti, multum requiretur: parum
 accepisti, parum exigetur. Omnes pro
 vium multitudine major minorve stringit
 obligatio: quam perpendens S. Chry-
 stomus ingemiscens interrogavit: Qui po-
 sent salvari Rectores animarum? Et Hie-
 milia in acta ait: Non arbitror inter Sacer-
 dotes multos qui salvi fiant, sed multo
 magis qui pereant, non tam propriis pe-
 catis, quàm alienis, quæ non curarunt.
 Dilatavit Infernus animam suam & aper-
 ruit os suum absque ullo termino. Ita

§. 14.

Nec tamen ideo animum despondeas
 bonæ

bonæ sis voluntatis, & munus impositum
 ritè pro viribus obire coneris; cogita,
 quemadmodum malè administrantis mul-
 tiplex est peccatum & periculum: ita &
 benè officio fungentis multiplex esse me-
 ritum & præmium. Si Deus hoc onus ali-
 cui imponat, quis excutiet? Si Christus
 jubeat: *Pasce oves meas*: quis dicere aude-
 bit, nolo, Domine, eas pascere, ne ipse in
 pericula incidam? qui vocat & jubet,
 opem feret, modò pura intentione hoc
 munus adeas & obeas, nihil terrenum, ni-
 hil humanum spectans: sed solum, quod
 cœleste, quod æternum & divinum est,
 quærens & desiderans. Sic Deus aderit
 tibi, plus quàm quibuscunque aliis, & vi-
 res, gratiam ac Spiritum dabit. dum enim
 Ministri Domini, Dei vices obeunt guber-
 nando & pascendo alios, opem Dei me-
 rentur exponendo semetiplos. Magnus
 labor est, sed & merces magna nimis:
*unusquisque enim propriam mercedem ac-
 cipiet secundum suum laborem. 1. Cor. 3.*
 Difficilis pugna est, sed legitimè certanti &
 generosè vinceti reposita est æterna justitiæ
 corona. Vigilent itaq; animarū Curatores,

orent, obsecrent, gratiam postulent, obligationem suam crebrò perpendant, pretium animarum considerent, actiones suas prudenter disponant, & Deo adjuvante omne periculum evadent, ingentia animarum lucra facient, & ubi suos ad justitiam bene erudierint, fulgebunt quasi stelle in perpetuas æternitates.

IV. Rejēctis à vitæ laudatæ encomiis præcedentibus & correctis, factum patet, quis denique vitæ bonæ testimonium jure sibi vendicet: ille scilicet, qui officio sibi à Deo imposto ritè fungitur, qui *secundum virtutem suam proximo recuperat & attendit sibi: ne incidat*: Eccl. 29. qui & sibi invigilat & sibi commissam tanquam rationem redditurus de illis, Sacerdos tantum, sive etiam Parochus fuerit, vix enim Sacerdos reperitur, quin eorum saltem familiarium & cognatorum curam habeat; cum & Deus unicusque mandarit de proximo suo Eccl. 17. Ille verò vitæ optimæ, vitæ perfectæ sanctæ elogium merebitur coram Deo hominibus, qui munus suum integrè, perfectè & sanctè obierit. Et quidem

1. Munus Sacerdotale, ut vitam perfectam Sacerdote dignam instituat, angelicamque puritatem imitari contendat. *Loquere ad Sacerdotes: Sancti erunt Deo suo*, ait Dominus Levit. 21. Et *Estote perfecti*, inquit Christus Matth. 5. Sacerdos enim *Angelus Domini exercituum est*. Malch. 2. præclare docet S. Laurentius Justin. Serm. de Corp. Christi. Quoniam, inquit, Sacerdotes descendens de cælo in carne Verbum contrectant manibus, tribuunt populis, in seque suscipiunt, & Angelorum sive adstantium sive ministrantium vice funguntur [quod nunquam datum est Angelis] potiùs Angelicam, quàm humanam debent conversationem habere. Accedat igitur Sacerdos ad Altaris tribunal ut Christus, assistat ut Angelus, ministret ut sanctus: populorum offerat vota, ut Pontifex, interpellet pro pace, ut mediator, pro se autem oret ut homo.

2. Munus pastorale perfectè impleat: *Ministerium tuum imple* 2. Tim. 4. in eo situm, ut faciat & doceat: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regna cælorum* Matth. 5. ut *Ardeat & luceat: ardeat*

ardeat pietate, Zelo & charitate Deo
proximi, luceat omnium virtutum & bono-
rum operum exemplo. Ut sibi & mu-
ndo mortuus nihil caducum quærat, solus
Dei gloriam & salutem animarum sitia
passiones animi velut pestes comprimant
otium diaboli pulvinar fugiat, nihil quod
existimet gloriosius atque utilius, quam
Dei & animarum sibi commissarum cau-
magnos & continuos exantlare labores
bene facere & mala pati. Ille, inquam
vitæ optimæ & perfectæ laude dignus
censebitur, qui omni studio se exhibere
conatur virum verè Apostolicum, quale
Titum, Timotheum, aliosque esse optabat
Apostolus ad Tit. 1. & 1. ad Tim. 3. *Non*
superbum, non iracundum, non vinole-
tum, non percussorem, non turpis luc-
cupidum: sed hospitalem, benignum, hu-
brum, justum, sanctum, continentem
amplectentem eum, qui secundum sana-
doctrinam est, sermonem, ut potens
exhortari in doctrina sana, & eos, qui
contradicunt, arguere. Atque in omnibus
præbeat seipsum exemplum bonorum op-
rum, in doctrinâ, in integritate, in gra-
tate,

rate, in verbo sano & irreprehensibili; paratusque sit si occasio tulerit, exemplo Christi, Pastoris optimi, *ponere animam pro ovibus sibi concreditis.*

Domini Confratres. Hic est scopus, ad quem collimare, hæc est meta perfectionis, ad quam aspirare & currere debemus: cum autem ad eam absque continuo virtutum exercitio pertingere nequeamus, manum operi applicemus, in stadio hoc de virtute in virtutem eurramus, ac strenuè nos exercendo desudemus: quoniam verò sine gratiæ divinæ auxilio, nihil omnino efficere valemus, ad orationem tanquam medium potentissimum confugi- mus, atque hac similive precatatione, virtutes Sacerdotales, Pastorales & Apostolicas sæpius efflagitemus.

ORATIO.

O Aeterna veritas, vera Sanctitas, sancta Felicitas, illumina tenebras nostras, ut officii nobis impositi partes & obligationes cognoscamus & expleamus: aperi oculos mentis nostræ, ut dignitatē & præciū anima-

rum penetremus , atque ita illis nos im-
 pendamus , ut animæ propriæ detrimen-
 tum non patiamur; nec ita nobis ipsis in-
 gilemus , ut animas nobis commissas ne-
 gligamus. Eja aspiret dies & lux , ut incli-
 nentur umbræ , ut nulla nos seducat, nulli
 inquinet , nulla condemnet phylargyri
 vanitas. Infunde cordi nostro justitiam
 ut quæ Ecclesiæ sunt , Ecclesiæ ; quæ Deo
 sunt , Deo reddamus. Infunde continen-
 tiam , ut modice [pro modicâ enim vita
 hujus viâ modico opus est viatico] victu
 & amictu contenti, sobriè justè & piè vive-
 mus in hoc sæculo , expectantes beatitudi-
 nem & adventum gloriæ magni Dei. In-
 funde religionem & pietatem , ut non
 mammonæ iniquo , sed tibi Domino no-
 stro serviamus in sanctitate & justitiâ om-
 nibus diebus nostris. Infunde charita-
 tem , ut animam magis diligamus quàm
 arcam : ut pauperes & inopes magis ame-
 mus , quàm aurum , & opes. Infunde
 sapientiam ut veras divitias ambiamus &
 coacervemus , quæ nobiscum perennent
 in cœlis ; non vanas & mox perituras in
 ter-

terris. Da nobis, sic transire per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Da, ut domos, nomen & familiam construamus non apud homines brevi morituros; sed apud te & Sanctos Angelos, beatos & gloriosos, quæ in omnia sæcula durent & æternent. Da, ut simus sal terræ & lux mundi; ut exemplo magis, quam verbo omnes trahamus ad te, eosque doceamus re ipsa contemnere terrena, & amare cælestia, ut in magno illo decretorio mundi die, à te Judice, audire mereamur: Euge serve bone, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui, Amen.

CANON II.

Admissio seu adscriptus, ab ipso statim adscriptionis die incipit celebrare, quot mensibus semel pro Confratribus vivis, eorumque profectu in virtute & perfectione. Item singulis septimanis semel pro uno, vel pluribus Confratribus defunctis, ac solummodo per annum: si nimirum quis vel qui è Sodalitio nunciati sint isto anno ob-
 C 5 iisse:

uisse: Cessante enim Confratrum morte, cessat etiam post annum ab obitu hebdomadaria vivorum obligatio, pro uno vel pluribus defunctis celebrandi, donec alius vel alii iterum significantur è vivis excessisse.

EXPOSITIO

Canon hic binis constat partibus: prima exigit sacrificium menstruum pro Confratribus vivis, altera hebdomadariam pro defunctis. Ordiamur à primâ.

Numeramus inscriptos Sodalitii nostri albo Sacerdotes Anno 1696., in Districtu Lingensi 21. In Osnabrugensi 78. in Monasteriensi 67. In Cosfeldiensi 78. In Warendorpiensi 37. in Rheimensi 33. In Emslandico & Cloppenburgensi 17. Denique in Districtu Vechtensi 16. Univerſim 386. atque hos inter animarum Pastores 147. Omnes hi & singuli, si quot mensibus sacrosanctum Missæ Sacrificium Altissimo offerant, Sacrorum numerus, anni unius decursu, accedet ad 4272. decennii autem spatio, ad quadraginta duo millia, septingenta & viginti, computus ascendet.

Si verò computemus Confratres quingen-
 tos & ultrà, quos hoc anno 1709. nume-
 ramus, quo Canones denuò uno in Libel-
 lo impressos distribuimus, sacrificiorum....
 Calculus quot annis ad sex millia, quot
 decenniis, ad millia sexaginta pertinet.
 O quantus thesaurus, si æstimare nosse-
 mus! Quantus fructus si probè Nobis,
 Confratribusque nostris applicaremus!
 Quod ut promptè, libenter, fideliterque
 quot mensibus præstemus, gemino hoc
 motivo Nos efficaciter excitabimus: pri-
 mum est, summa quæ à Nobis requiritur
 vitæ sanctitas, quam virtute efficacissimi
 Sacrificii obtinere intendimus: alterum
 est, summa quâ premimur necessitas, cui
 tot Sacris succurrere desideramus.

I. Quanta in Sacerdotibus requiratur
 vitæ sanctimonia; ex eorum statu, officio,
 & sacrificio, sole clariùs elucescit: Si enim
 Deus omnipotens Legis antiquæ Sacer-
 dotes, ad animalium victimas & holo-
 causta duntaxat destinatos, sanctos esse
 voluit: *Sancti erunt Deo suo, & non
 polluent nomen ejus.* Levit. 21. Quan-
 tam, obsecro, à vobis, ô Sacerdotes

novæ Legis! Jesum Christum Agnum Dei
 immaculatum toties offerentibus, vita
 sanctitatem exiget? haud dubiè non vul-
 garem, sed longè Sacerdotibus illis emi-
 nentiozem: vos enim Deitatis imagines, &
 Vicarii Numinis, Dei in terris personam
 sustinetis; adeoque Dei ipsius sanctitatem
 vos æmulari necesse est: *Sancti estote, quoniam
 etiam ego sanctus sum.* Levit. 20.

2. Vos, ô Sacerdotes Altissimi! Angelis
 nuncupamini: *Labia Sacerdotis*, inquit
 Malachias c. 2. *custodient scientiam, &
 veritatem ex ore ejus requirent: Angelus
 enim Domini Exercituum est.* Imò vos An-
 gelos ipsos, Cherubinos quoque & Sera-
 phinos officii excellentiâ vincitis: neque
 enim illis potestas aut peccata remittendi
 aut Corpus Domini Jesu consecrandi, un-
 quam concessa fuit. Quanta igitur virtus,
 quanta puritas vobis competit? fanè S.
 Chrysostronus L. 3: de Sacerdotio, dicere
 non est veritus; *Necesse est Sacerdotem sic
 esse purum, ut si in ipsis coelis collocatus inter
 caelestes illas virtutes medius staret.*

3. Vos, ô Dei Mystra! Omnes Patriar-
 chas, Prophetas omnes, & ipsum adeò, qui
 teste

teste æternâ Veritate, plus quàm Propheta
 est, muæris sublimitate antecellitis. San-
 ctissimus, fateor, & magnus erat ille Do-
 mini Baptista Joannes: at vos in pluribus
 eum longè superatis. Ille venit ad dan-
 dam populo scientiam salutis; vos, non
 scientiam solùm, sed ipsam quoque salu-
 tem, id est, Deum omnis scientiæ & salutis
 authorem præbetis. Ille digito monstra-
 vit Agnum absque maculâ, vos eundem
 consecratis manibus tractatis, & cordi ve-
 stro immergitis. Ille Baptismum pœniten-
 tiæ, solam veri & ineffabilis hujus Sacra-
 menti figuram, plebi conferebat; vos ip-
 sum Sacramentum & Sacramenti gratiam
 impertimini. Ille unâ solùm vice, manum
 vertici Salvatoris imposuit, dum eum in
 Jordane baptizaret: vos verò multò fre-
 quentius, illum consecratis, benedicitis,
 tangitis, elevatis, & quod amplius est, in-
 timo cordis sinu recipitis. Quid jam cen-
 setis esse majus: Christum digito monstra-
 re, an recipere; baptizare, an consecrare?
 Totus hic discursus est melliflui & Sancti
 Patris Bernardi. Ex his igitur tot tantisque
 prærogativis, an non liquet, quanta in

vobis requiratur vitæ integritas, quanta perfectio? quanta sanctitas?

4. Vos ô Christi, seu Uncti Domini estis *Genus electum*, *regale sacerdotium*, *gens sancta*, *populus acquisitionis*, ut Princeps Apostolorum, commemorat. I. Pet. 2. Propria enim, vel ex etymologiâ nominis Sacerdotis dos est sanctitas: vos etenim sancti sanctique estis, quia Deo consecrati & sanctificati estis: cæteri laici sunt & profani; vos verò sancti, & quasi divini, quos tangere & violare non licet. Si igitur Dionysii definitione: *Sanctitas sit ab omni iniquatione libera, incontaminatissima, & perfectissima puritas*. Et ex mente Origenis *Sanctus* dicatur quasi *sine terra*, qui scilicet à terrenis facibus sit secretus, purus, celestis, ac Deo cohærens. Quantam rursum vestram vitæ sanctimoniam esse par est, Sacerdotes! Profecto cōvenit, ut conversatio vestra ab omni vitio gulæ præsertim & libidinis, illibata; sit non cū hominibus in terris; sed cum Angelis & Sanctis in cœlis.

5. Vos denique, ô Sacerdotes, Christi Vicarii! alios quoque sanctificandi virtute polletis: *vos enim estis sal terræ*, *Lux*

Mun-

Mundi, Civitas supra montem sita; & lucerna in Candelabro posita; ut omnibus, qui in Ecclesiæ Domo aut Paroeciâ vestrâ sunt, verbo & exemplo præluceatis, viamque salutis ac perfectionis commonstretis. Vos estis Mediatores inter Deum & Homines, qui Sacrificiis & precibus Justitiam Divinam placatis, & Misericordiam ejus exoratis, Jideoque peccata populi comeditis & consumitis. Vos estis, ut loquitur S. Gregor. & S. Hilarius, Satores æternitatis; qui agnos vestros sacrâ Baptismi undâ ab originis labe mundando, in vitâ æternam gignitis, vos oves vestras errantes & in fauces Luporum infernalium lapsas, peccatorû remissione, in caulas cœlestes reducit; vos easdem famelicas verbo vitæ æternæ & sanctissimâ Christi carne pascitis, ac sanguine pretioso potatis: vos denique iter æternitatis ingressuras ad ultimam luctam inungitis. Quantam igitur, per Deum immortalẽ! necesse est, vestrâ esse non solum vitæ probitatẽ; sed & perfectionis & sanctitatis exiniæ splendore? Verè dixit S. Dionysius: Sacerdotes oportere esse instar crystalli pellucidæ & radiantis, in quam radii solis incidentes, in cætera, quæ vicina sunt, re-
fun-

fundantur. Consentit *S. Chrysostomus* afferens Sacerdotem aliis tantâ debere virtute præstare; ut sit quasi homo inter bruta, vir inter pueros, Angelus inter homines.

6. Atque hac de causa viri, licet sanctissimi, Sacerdotale munus, velut eo indignum tanto pere refugerunt. *S. Franciscus Seraphicus*, nunquam ad Characterem sacerdotalem suscipiendum induci potuit, allers: Si hinc Angelus, inde Sacerdos mihi occurreret, Angelo relicto ad Sacerdotem accederem, ejusque manus exoscularer. ille enim & panem & verba vitæ mihi ministrat. *S. Marcus Anachoreta* pollicem sibi abscidit, ut sacerdotalem dignitatem declinaret. Sic *S. Antonius*, *S. Hilarion* & plurima Monachorum millia honore sacerdotali insigniri detrectârunt; adeo, ut in multis Ægypti Cœnobis, ne unus quidem sacerdotio initiatus reperiretur, ut Patrum vitæ testantur.

7. *Domini Confratres*: Ecce hic aperit est virtutis & perfectionis, quem status vester postulat: hæc est sanctitas, quam Divina Majestas à vobis requirit. Si non obiter perpenditis, quis vestrum non videt, quam

tis

tis abnegationibus & sui victoriis, quantis
 precibus, suspiriis, lacrymis, ac præcipuè
 sanctis Missæ sacrificiis opus sit, ut omnia
 perfectionis impedimenta removeatis, ut
 virtutis obstacula & animæ vincula per-
 rumpatis, atque ita in arduum perfectio-
 nis & sanctitatis montem eluctemini? Ut
 igitur hoc consequamini, offerre, obsecro,
 sedulo & ferventer pro vobis invicem,
 quot mensibus, Missæ Sacrificia, quorum
 virtus etiam ferrea aut adamantina vitio-
 rum vincula & repagula dirumpet? ut do-
 cet *S. Gregor. M. Homil, 37. in Evangel.*
 Ubi cum retulisset soluta toties viro ablen-
 ti & carceri mancipato vincula, quoties
 pia conjux Sacrum pro ea legendum cu-
 rasset; sic concludit; *Hinc ergo Fratres cha-
 rissimi, hinc certâ consideratione colligite,
 oblata à nobis hostia sacra, quantum in no-
 bis [addo & aliis] solvere valeat ligatu-
 ram cordis; si oblata ab altero, potuit in al-
 tero solvere vincula corporis.*

II. Consideratâ, quæ requiritur in no-
 bis, sanctitate; nunc ex alterâ parte, ejus-
 dem in nobis defectum perpendamus,
 quantòque intervallo à perfectionis Sa-
 cerdotalis apice distemus, exponamus; &
 longè

longè magis summam Sacrificiorū, precū
& aliorū mediōrum necessitatē perspiciemus

1. Postulat à nobis supremus Cœli Mo-
narcha, ut sancti simus, quoniam ipse san-
ctus est. Quod si jam nonnulli inter nos
perirentur (quod minimè speramus) quod
forsan nullam de sanctitate & perfectione
adipiscendā, seriam cogitationem susce-
pissent, aut necdum prima sanctitatis fun-
damenta jecissent; qualia sunt, constan-
tissimi peccati lethalis & venialis deliberati fugi-
sensuum mortificatio, passionum refren-
natio &c. quanta his necessitas incumbere-
ret, ut, antequam supremo Judici sistantur
decretoriā sententiam audituri; Domino-
rum Confratrum Sacrificiis adjuti, prima
tandē, post tot annos, perfectionis elemen-
ta addiscerent, ac seriō in praxin redigerent

2. Si Sacerdotes Angeli sunt, ut paulo
antè Malachiæ testimonio comprobavimus;
quid sentiemus, si quis fortasse, quod
absit, & horror est cogitare, volutaretur in
carne & sanguine? non angelicis moribus
sed belluinis; non virtutibus sacerdote dignis,
sed vitiis nefandis deditus? Quanta
hinc rursus foret necessitas precum & sa-
crificiorum?

3. Joan-

3. Joannis Christi præcursoris, ut vidimus, officium dignitate & potestate, longè antecellimus. At verò, quem gratiis excedimus, an exæquamus virtute? Væ nobis, si dignitate eminentius, & sanctitate inferiores sumus! Ubi est in nobis illa, quâ Joannes præfulgebat cœlestis ac penè angelica puritas? ubi illud divinum silentium? illa oratio assidua? illa pœnitentia tam austera & vix aliàs visa? ille fervor in annuntiando Messiam? humilis illa ad pedes Salvatoris affusio, quâ se judicabat indignum, qui illi ministraret, aut corrigiam calceamenti solveret? Ubi cæteræ virtutes, quas exercebat in deserto? Ubi eximius ille zelus & sancta libertas reprehendendi scandala Herodis in ipso Palatio? Ubi illa animi firmitudo & constantia, quâ fieri meruit Martyr castitatis? Væ nobis! iterum dico, væ nobis, si nos ampliori dignitate dotatos cernimus, quàm Baptistam Domini, & in illo eminere virtutes: in nobis vitia, imperfectiones & miserias! Et ubi in nobis hic defectus fortè deprehensus fuerit? quanta iterum, præter alia media, sacrificiorum necessitas, ut corrigatur?

4. Su-

4. Sumus, ut ante perpendimus, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*, ab omnibus mundi curis & sæculi negotiis remota, ut uni Deo vivamus. *Nemo enim militans Deo, implicat se negotiis secularibus*; ut docet Apostolus 2. Tim. 2. Jam verò si nos non minori pro jumentis & agris, pro facultatibus necessariis & superfluis, pro controversiis & litibus, pro consanguineis & nepotibus, sollicitudine distracti & irretiti reperiamus, quàm sæculi res pro Uxoribus & liberis, an non dolenter cum Poëta lamentabimur?

Cum Factor rerum, privarit semine Clericorum;

Ad Sathana votum, successit turba nepotum!

Atque in hoc casu, quem Divina avertat, si fortasse apud nonnullos irrepserit, corrigat Clementia, quanta denuò incumbit necessitas, quàm ferventissimè Sacrificiis multis gratiam postulandi; ne rerum caducarum amore, animas adeò pretiosas, Jesu sanguine redemptas, negligamus; sed potiùs Apostolico more à terrenis omnibus avulsi, magno Deo nostro unicè serviamus,

mus, salutique ac perfectioni proximo-
rum invigilemus; & sic transeamus per bo-
na temporalia, ut non amittamus æterna?

5. Si consideremus nos esse salem terræ,
& mundi luminaria, ideoque obligatos
esse, ut nostræ curæ commissis, omnium
virtutum exemplis præluceamus, si cogi-
temus nos esse animarum Pastores, quo-
rum est oves suas verbo divino & Sacra-
mentis pascere, excessus corrigere, scanda-
la tollere, mores distortos aut depravatos
emendare, atque universos sibi concredi-
tos ad salutem & perfectionem manu-
dere: quis necessitatem obtinendæ per Sa-
crificia gratiæ copiosæ non videt? præser-
tim cum numerus animarum Curatis com-
missarum forte ascendat ad centum millia?
de quibus omnibus & singulis strictissi-
mam supremo Judici rationem sunt red-
dituri? Si mundi Luminasumus, mun-
dum verbi & exempli radiis illuminare de-
bemus: quâ verò ratione illuminabit alios,
ipse fortassis hærens in tenebris? quo pacto
arguet alios, ipse reus, aut quomodo do-
cebit iracundus mansuetudinem, temu-
lentus sobrietatem, incontinenens castimo-
niam,

niam,

niam, gulofus temperantiam, eleemofynam avarus, vitiorum denique cœno immerfus, perfectionis fublimitatem? Sane nunquam bene poterit alios ducere cæcus, nec ferdidus alios emundare, nec tepidus aut frigidus inflammare. Nemo enim dat, quod non habet, ajunt Philofophi. Ac proinde communiter, qualis Rex talis grex; qualis populus, talis facerdos & qualis facerdos, talis eft & populus. Quam igitur ferio & frequenter divina imploranda auxilia, offerenda facrificia; ut induamur virtute ex alto: ut ministerium nostrum impleamus, animasque nobis fubjectas non ad Infernum fed beatitudinem æternam perducamus.

6. Porrò fi statum nostrum Clericalem penitiùs rimemur, fateri omnino cogimur, nos pluribus, gravioribusque damnationis æternæ periculis obnoxios effe, quam vel fæculares affiduis laboribus, negotiisque intentos, vel Religiofos, Monasteriorum fuorum feptis vallatos, & vigili Moderatorum oculo custoditos. Quanta enim pericula fecum trahit, & in statum nostrum invehit [præcipuè fi amor Dei, merus

metus gehennæ, aut solida desit occupa-
 tio] Libertas & Societas ; lautitia & otio-
 sitas ; facultatum copia, occasionum præ-
 sentia , Prælatorum ac Testium absentia,
 consuetudo depravata , ac tandem Diabo-
 li, tanquam Leonis rugientis , erga Dei
 Ministros, rabies & sævitia ? De quibus
 præclarè *D. Hieronymus* Epist. ad Eusto-
 chium de custod. Virgin. *Magnis in hac
 vita circumdamur inimicorum agminibus:
 hostium plena sunt omnia: caro fragilis &
 cinis futura post modicum, pugnat cum
 pluribus. Non querit Diabolus homines in-
 fideles, non eos qui foris sunt: & quorum
 carnes Rex Assyrius in olla succendit: de
 Ecclesia Christi rapere festinat: esca ejus,
 secundum Habacuc electa sunt: Job sub-
 vertere cupit, & devorato Juda ad cribran-
 dos Apostolos, xpetit potestatem. O quan-
 tis igitur adminiculis indigemus, ut omni-
 bus hisce laqueis contritis, feliciter libe-
 remur!*

7. Quot cheu! de Clero [minimè ta-
 men sperem de nostro laudabili Sodali-
 tio tot precibus ac sacrificiis defenso]
 quot, inquam, infernalis illa bellua de-
 vorat!

vorat! Totus cohorreo dum apud religio-
 sissimum Dionysium Carthusianum de
 novissimis p. 3. c. 13. lego, quempiam Re-
 ligiosum Anglum, mente ad Purgatorii er-
 gastula raptum, cum miraretur vix se in il-
 lis Sacerdotes animadvertere; didicisse a
 Angelo, paucos omnino ex Sacerdotibus
 purgandos, plurimos æternum damnan-
 dos. Sed cur obsecro? Quia nempe Sacer-
 dotum crimina vix mediocria sunt. Sed
 hoc ipsum cur nam? Quia, inquam, paupe-
 res ac defunctos Fundatores aut Benefic-
 ctiores defraudant. Pauperes quidem, qui
 inutiliter aliqui consumunt, quod pauperi-
 bus Deus distributum vellet: Defuncto-
 verò; quia sacra, ex obligatione perfo-
 venda, vel omittunt, vel procrastinant
 [Sed rursus dico, absint hæc & similia
 nostro sodalitia.] Hæc autem fraus vindic-
 ctam extorquet è cælo, quippe misericor-
 diæ indigna, quæ crudelitatis sit plena.
 Quo fit, ut post continuatas ejusmodi
 fraudes, sinantur à Deo in novas ac nova-
 noxas abire præcipites, nec metu Novissi-
 morum tangi se sinant; sed post porcinam
 vitam, juxta templa & aras peractam por-
 cinam

cinâ quoque morte defungantur. Quod indicavit Angelus ille, dum tantæ cladis causam assignavit, *pœnitudinis in morte defectum*: è criminibus utique non levis ortum: qualia sunt; debitorum Sacrificiorum & Horarum Canoniarum neglectus; patrimonii Christi dilapidatio, Sacramentorum indigna tractatio, curæ animarum ommissio, beneficiorum sine justa causa multiplicatio; ebrietas, luxus, luxuria, avaritia, simonia, sacrilegia, aliâque scandala & peccata aliena; æternæ infelicitatis ac damnationis, eheu! nimis copiosæ scaturigines.

8. Quæ cum ita sint, *Admodum Reverendi Domini*, quis vestrum non videt, luce meridiana clariùs, quanta nobis opis & auxilii mutui necessitas incumbat? Nonne par esset, nos omnes tremere, prosterni, lachrymari, pectora tundere, & ante thronum divinæ Majestatis supplices in cœlum palmas extendere, ac validam ejus manum implorare: ut quos ad dignitatem Sacerdotalem evexit, & bonæ voluntatis esse effecit, his periculis abripi non sinat, & ob peccata in Infernum non deprimat,

D

æter-

æternis suppliciis cruciandos? Nonne ex
 pediret, non solum, quot mensibus; verum
 etiam quot hebdomadibus, sacrificiis mu-
 tuis Clementiam divinam flectere; ut quan-
 à nobis requirit vitæ perfectionem & san-
 ctimoniam, largâ manu elargiatur? Quo-
 niam verò Deus indes prodigia patrat
 non vult; nec absque mediis ordinariis
 virtutum culmen nos evehere; an non ro-
 gandus cum lacrymis & instantiâ Deus:
 saltem in nobis virtutum obices revellat
 perfectionis obstacula disrumpat, atque
 ad omnia sanctitatis media gratiam copio-
 sissimam concedat? Quænam autem hæc
 media sint, notum vobis, perspectum
 que est: nimirum peccatorum emenda-
 tio, vitiorum extirpatio, passionum sub-
 gatio: sensuum mortificatio, assidua vir-
 tutum exercitatio, fervens è corde bullien-
 te profecta oratio, profunda æternorum
 meditatio, studiosa Librorum asceticorum
 lectio, & in primis, de quâ nunc agimus
 sacrosancti Missæ sacrificii crebra, & fe-
 ventissima oblatio: in quâ omnis sanctita-
 tis fontem & ipsi sumitis & pro DD. Con-
 fratrum salute ac perfectione immolatis
 cuius

cujus virtute inexhaustâ omnia perfectio-
nis obstacula, facilè removebitis, ac deni-
que ipsam vitæ sacerdotalis sanctimo-
niam, pretiosam illam margaritam, feli-
citer invenietis.

O R A T I O.

*Seu intentio ante Sacrum, quot mensi-
bus offerendum.*

Clementissime Deus, Author naturæ,
dator gratiæ, omnium bonorum fons
indeficientissime! Ego N. indignus famu-
lus tuus, offero Tibi hoc sacrificium, pro
Confratribus meis, ex pacto inter nos ini-
to, idque ex puro amore amicitiaë & bene-
volentiaë in Te Deum verum & vivum: ad
gustum & gloriam tuæ Divinaë Majestatis:
in gratiarum actionem pro omnibus be-
neficiis, Confratribus meis unquam à Te
collatis, aut conferendis: in satisfactio-
nem pro omnibus eorum peccatis: ac pro
impetrandis omnibus virtutibus, gratiis
ac donis, statui eorum sacerdotali con-
gruis & necessariis; in odorem suavitatis.

Si tempus ferat, addi queunt hec particularia.

1. Miserere igitur, ô misericordissimè miserationum Pater: omnium Confratrum meorum, & fac eos salem terræ: ac lucem mundi: vitamque tam perfectam instituant; atque sanctissima illorum dignitas requirit.

2. Concede eis verissimam contritionem, ut dignos pœnitentiæ fructus faciant, multis lacrymis delicta sua eluant, & operibus heroicis compensent.

3. Da quoque illis, Domine, verissimum omnium terrenorum contemptum, ut ne honores quærant, nec dignitates ambiant, nec divitias aut voluptates suspirent; sed omnem honorem suum, omnes thesaurus atque delicias suas, in te bonorum omnium fonte respiciant.

4. Libera eos, Deus meus, ab omnibus tentationibus ac dolis hostium visibilium & invisibilium; ab omnibus quoque passionibus & inclinationibus pravis, à desiderijs malignis, à concupiscentiis infructuosis; ut carne mortificati faciliùs cœlestia capiant, atque degustent.

5. Illumina mentes eorum vivâ fide & supernaturali lumine, quo divina myste-
ria tua meliùs cognoscant; & quæ de Te ac
Filio tuo credunt, perfectiùs intelligant.

6. Largire eis spem firmam; quâ in sinu
Providentiæ tuæ, omnes curas suas collo-
cent; & vitam æternam, omniâque ad eam
media, se consecuturos de tuâ benignitate
confidant.

7. Tribue iis quoque, ô Domine! sep-
tem dona Spiritûs sancti, & reliquas virtu-
tes, sobrietatem & abstinenciam, castita-
tem & pudicitiam, humilitatem & patien-
tiam, zelum animarum & charitatem; quâ
te & proximos suos purissimè & perfectis-
simè diligant.

8. Denique per merita & vulnera, per
passionem & mortem Redemptoris mei,
obsecro; largire eis mortem beatam, ut
post vitam sanctè peractam, sanctâ morte
justorum moriantur. Tolle ab eis nimium
amorem hujus vitæ, & nimium quoque ac
immoderatum mortis timorem remove.
Da illis intimam lucem horæ mortis, ut
mundi blandientis illecebras fugiant: da
intimum saporem æternitatis, ut læti tran-

storia delectant : da veram resignationem
 in tuam sanctissimam voluntatem ; ut
 quando & quomodo disposueris, alacriter
 abscedant. Ad extremum, suscipe animas
 Famulorum tuorum, & gratiâ tuâ, ac veste
 nuptiali charitatis vestitas in cœlestem Pa-
 triam admitte ; ut ibidem laudes & miseri-
 cordias tuas cum Angelis & Sanctis æter-
 nùm decantent. Amen.

P A R S II. Canonis.

Altera pars Canonis exigit, ut quot
 hebdomadibus sacrificium offeramus
 pro uno vel pluribus Confratribus defun-
 ctis ; idque unius anni spatio : quæ sacra-
 menta ad calculum revocemus ; anno unico, à Sa-
 cerdotibus 356 : peracta, facilè numerabi-
 mus octodecim millia, quingenta ac duo-
 decim. Atque hic erat DD. Confratrû nu-
 merus Anno 1696. ; at anno currēte 1709,
 ad quingentos & ultrâ ascendit : adeoque
 si Sacrificiorum computum ineamus, sex
 & viginti millia quot annis reperiemus.

O quantus thesaurus ! ô quantum nobis
 ex hac luce migraturis solatium ! quantum
 in acerbissimis flammis purgantibus refri-

geri-

gerium? Ut igitur ea Sacra pro defunctis Confratribus alacri ac promptâ voluntate peragamus, sequentia, quæ paucis perstringimus, nos permoveant incitamenta.

1. Præter proprium meritum, ob insigni charitatis obsequium; moveat nos multiplex, quæ defunctis fidelibus Dei servis exhibetur misericordia: septena enim misericordiæ corporalis opera, hoc versu expressa *Visito, potro, cibo, redimo, rego, colligo, condo*, quovis sacrificio, erga pios manes eminenter exercemus. Nam 1. *egrotos visitamus*, ac solatio afficimus: verè enim laborant pii Manes, non febribus calidis, sed ignibus ardentibus, cum quibus omnes febres, pestesque comparatae, deliciae reputantur. 2. *Sitientes potramus*, sitimque Defunctorum levamus; quæ sitis aliud non est, nisi sensus & mœror ex privatione nectaris Beatorum, ergo quantum nectari cœlesti cedit humidum illud & frigidum, quòd hîc sitientes appetimus; tantum sitis piorum Manium superat sitim mortaliû. 3. *Esurientes pascimus*: fament enim piæ animæ & cibum appetunt: Sed *Ecclesiastico* teste c. 14.

Non est apud Inferos reperire cibum. Pal-
 cimus ergo illos pane vitæ, & manna cœ-
 lesti; damus eis cibum non qui perit, sed
 qui permanet & satiat in æternum. 4. *Cap-*
tivos redimimus, dum tot Sacrificiorum
 lytrum pro iis persolvimus, eosque è car-
 cere purgante ad libertatem Filiorum Dei
 atque ad Paradisum cœlestem perducimus.
 5. *Nudos vestimus*, dum purgato-
 rii inquilinos, nudos & gratia cœlesti pri-
 vatos, veste immortalitatis contegimus. 6.
Hospitio peregrinos excipimus, dum Con-
 fratrum nostrorum animas cœlo etiam-
 num exules, in cordis nostri hospitium per
 charitatem proximi, recipimus; atque in
 domum Patriæ cœlestis introducimus. 7.
 Denique *mortuos sepelimus*, sepulchrum-
 que piis Manibus apparamus; dum è flam-
 mis purgantibus, in quibus sepulti jacent,
 eos elevamus, atque in corde Christi, ani-
 marum Redemptoris ac Custodis optimi,
 tanquam in sepulchro glorioso commen-
 damus, recondimus, & inhumamus.

2. Moveat multiplex beneficentia, ac
 dona cœlestia, quæ pii Manes per nos li-
 berati, cœloque recepti, ut animi ingrati

notam effugiant, à supremo Numine nobis impetrabunt.

3. Moveat summa gaudii cœlestis magnitudo, & æternum beatitudinis ac gloriæ pondus, quod ope nostrâ piis manibus accersitur, & acceleratur.

4. Moveat summa pœnæ acerbitas & ignis purgantis cruciatus, qui omnium Martyrum ac Reorum tormenta ac supplicia longè antecedit. *Gravior enim erit ille ignis, quàm quidquid homo potest pati in hac vita.* Ut scribit S. Augustinus in Psalms. 37.

5. Moveat denique pœnæ diuturnitas, quæ subinde non tantùm ad denos aut vicenos, verùm etiam ad centenos & millenos annos extenditur.

Quis igitur *Admodum Reverendi Domini*, è vobis, non libentissimè Confratrum suorum Manibus piis opitulari pro viribus conabitur? Cui tanta amicorum suorum calamitas, tanta pœnarum acerbitas, tanta cruciatuum diuturnitas cor non emolliat, & pectoris chalybem frangat? *Ite ergo Angeli veloces* [Sacerdotes inquam] *ad gentem convulsam, dilaceratam*

Exspectantem : Ite veloces , quælibet enim mora longa est , quodlibet momentum annus ; & *sacrificate sacrificium iustitiæ* , atque animas Confratrum vestrorum , Deum perpetuo laudaturas , Beatorum Choris inserite.

ORATIO.

Seu intentio ante Sacrum , quot hebdomadibus celebrandum.

BENIGNISSIME & MISERICORDISSIME DEUS,
 Ego N. famulorum tuorum minimus,
 pro potestate mihi licet indigno per Sacramentum Ordinis hisce verbis concessâ :
Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis & defunctis : munus hoc mihi impositum, expleturus venio, & hoc sacrificium pro animâ N. Confratris mei defuncti [vel Confratrum] humillimè offero , ac per merita & sanguinem Filii tui unigeniti te oro atque obtestor , ut eam oculis misericordiæ tuæ benignè respicias ; per sanctos Angelos tuos eam solatio recrees ; culpas ex humanâ fragilitate contractas, condones : ac pœnas omnes iustitiæ

tia

tiae tuae debitas, clementer remittas: Ut
 anima haec Famuli tui, tormentis purga-
 torii erepta, è carcere ad libertatem, ex
 igne ad refrigerium, è caligine ad lucem,
 è mœrore ad gaudium, ab exilio ad pa-
 triam cœlestem transferatur; ibidémque
 conspectu tuo amabilissimo æternum
 perfruatur. Amen.

CANON III.

UNus sit perpetuus Confraternitatis Di-
 rector seu Inspector, qui in quolibet
 remotiore districtu suos habeat Definidores
 & Assistentes, quorum adunato zelo, &
 admittendorum cura habeatur, & Con-
 sodalium seu vita, seu mors, ubi idopus,
 significetur.

EXPOSITIO

Quemadmodum in Regno Rex, in
 campo Dux, in pelago Archithalaf-
 sus, in curia prætor, in familia genitor,

D 6

qui

qui regat & gubernet, exigitur; ita in Confraternitate nostra laudabili Inspectorum Definitoribus & Assistentibus requiritur, qui inspiciat & dirigat: *Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt*, ait Apostolus ad Rom. 13. 1. Ut autem gubernationis finis obtineatur, & respublica quævis facta tecta conservetur; & Præsides & subjectos, officii sui obligationem cognoscere atque exequi necesse est. Quod ut in Confraternitate nostra facilius consequamur, singulorum officia erunt declaranda. Undenam verò uniuscujusque muneris partes rescieamus, aut colligemus? Non aliunde melius, certiusve, quàm ex ipsa Sanctissimi Domini Innocentii XI. Pontificis maximi, sanctæ memoriæ, Bullâ, Confraternitatis nostræ confirmatoriâ, Anno Domini 1687. quinto idus Augusti, nobis communicata; ex qua tam D. Inspectoris, quàm DD. Definitorum, Assistentium ac reliquorum Confratrum officia desumpsimus, quæ ut, velut in synopsi, identidem inspicere queant, hic pro perpetua memoria, arteximus.

OFFICIUM

D. PRÆSIDIS, INSPECTORIS SEU
DIRECTORIS CONFRATERNITA-
TIS BONÆ VOLUNTATIS.

I. **D** Præses sive Inspector generalis
est tanquam Caput totius Soda-
litii; reliqui verò DD. Confratres, sunt ve-
luti membra, ut Bulla prædicta loquitur:
ac proinde, sicut in corpore, inter caput &
membra viget unio dilectionis; ita & inter
nos floreat unio & conjunctio sinceræ
charitatis. *Pro invicem sollicita sunt mem-
bra, ait Apostolus 1. Corinth. 12. Et si
quid patitur unum membrum, compatiun-
tur omnia membra, sive gloriatur unum
membrum, congaudent omnia membra.
Vos autem estis corpus Christi, & membra
de membro.* Similis inter nos charitas &
Sympathia requiritur, in quibus conjun-
ctio est, non necessitatis, sed libertatis, non
coactionis, sed bonæ voluntatis, Deo uni-
cè servire ac placere cupientis. Hinc Ca-
nones non præceptivi, sed directivi, hinc
nulla coactio, nulla stricta obligatio, nulla

vindicta, aut pœna; sed mera, puraque directio, & dilectio, in Christo JESU, nos gubernat, qualis in capite & membris corporis adumbratur.

Deinde Caput in humano corpore, dignitate, loco & officio eminent, cæterisque membris præcellit: Author enim naturæ, Corporis humani fabricam ordinans, relicto sensu tactûs aliis membris communi, in capite quinque sensus collocavit, in quibus tota gubernatio subsistit: ita pariter in mystico Confraternitatis nostræ corpore caput plures quàm alia membra, virtutes sibi vendicat. Illustrem hujus figuram Præsidibus nostris Saul exhibet, de quo 1. Reg. 9. 2. Regum facti perhibent. *Erat electus & bonus, & non erat vir de filiis Israël melior illo; ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.* Quod S. Gregorius l. 4. in 1. Reg. c. 4. explicans, ait: *Hæc corporis supra reliquos omnes proceritas significabat excessum, quo etiam in spirituali virtutum excellentia eosdem superabat: humerus enim quo portantur onera, significabat fortitudinem & patientiam: collum*

❧

Et guttur, ubi vox efformatur, Verborum efficaciam ad dirigendum Et docendum alios, indicabat. Non absimili modo Confraternitatis nostræ Inspector, non solum bonus sit & electus; verum etiam præ aliis virtute, prudentiâ, zelo & sincero in Confraternitatem, ejusque bonum & incrementum, amoris affectu; ab humero & sursum emineat; ut videri possit & videri; videre scilicet DD. Confratres suos, & ad præfixum Confraternitatis finem dirigere; videri autem tanquam vivum perfectionis Ecclesiasticæ exemplum, & tanquam lumen supra candelabrum positum, ut luceat omnibus qui in Domo sunt; præstet fortitudine ut curas & molestias in officio suo occurrentes, pro gloria Dei, patienti libentique animo toleret; valeat eloquio sacro, aut alio verbo, scriptove ad meliora promovere possit.

2. Alterum nomen & officium Præsidi in Bulla attributum, est *Inspectoris*, quod exigere videtur, ut toti Sodalitio diligenter invigilet, Confratrum vitam morisque inspiciat, & si quid fortè minus rectum,

rectum,

rectum, aut, quod absit scandalosum, deprehenderit, per se vel Definidores suos suaviter commonefaciat: Sicut enim Episcopi est, Diœcesim, Pastoris Parochiam inspicere & observare, ita quodammodo Inspectoris est Confraternitatem intueri & mentis oculis lustrare: hoc tamen discrimine, quod illi ex obligatione & iustitia, hic verò ex mera charitate & animarum zelo munus suum obeat. *Charitas Christi urget nos*, inquit Apostolus 2. Cor. 5. 14. Sic illum Charitas Christi ad vigilantiam excitat, Charitas Christi inspicendi curam acuit, dirigit, custodit, animat, atque defendit. Charitas & vigilantia Naucleri, navem salvam in portum feliciter deducit, somnolentia in naufragii pericula conjicit. Charitas & vigilantia Pastoris, gregem à lupis defendit: oscitantia Luporum dentibus dilaniandum objicit. Archistrategi magnanimitas & generositas, toti exercitui animos addit, ejusdem pusillanimitas cunctis gregariis formidinem incutit. Ita quoque D. Inspectoris charitas, vigilantia, strenuitas, ac zelus in Definidores, ab illis in Assistentes, ab his deni-

denique in reliquos Confratres, non sine
 eximius spiritus emolumentis derivatur,
 nam *Secundum Judicem populi, sic & mi-*
nistri ejus: & qualis Rector est Civitatis,
tales & inhabitantes in ea. Eccl. 10. 2.

3. Tertium nomen, quod Bulla insi-
 nuat, & officium indicat, est *Directoris*:
 incumbit enim illi Confraternitatem uni-
 versam ad finem sibi præstitutum dirigere,
 gubernare, promovere. Nimirum 1. Ad
 Dei omnipotentis laudem, honorem &
 gloriam. 2. Ad DD. Confratrum in statu
 suo Ecclesiastico Pastoralis aut Sacerdotali
 perfectionem. 3. Ad populi, à Clero san-
 ctius vivente, ædificationem, crebriorem-
 que Missæ sacrificio assistendi frequen-
 tiam. 4. Ad zeli, fidem Catholicam in his-
 ce partibus, variis in locis, labefactatam,
 reducendi, propugnandi & propagandi
 instaurationem. 5. Ad sanctæ mortis, per
 sacrificia menstrua, impetrationem. 6. Ad
 animarum sub terra, in igne purgante, ar-
 dentium refrigerium ac liberationem. 7.
 Ad sedulam per admonitiones, instructio-
 nes, exhortationes, litteras encyclicas, ex-
 citationem & ad virtutes cujusque statui
 conve-

convenientes, mutuam inter se inflammationem.

4. Officium verò Inspectoris, ut Bulla meminit, sit perpetuum, scilicet ad vitam D. Inspectoris, nisi ob sufficientes moventes & validas causas, illo fungi non lit, aut nequeat: quales esse posse videntur, stabilis corporis infirmitas, ingens senectutis gravitas, Domicilii & habitationis mutatio seu in loca remotiora translatio; ac denique ea negotiorum moles, quæ muneri huic invigilare non sinat.

5. Inspectoris est, quolibet anno, diem conventûs, pro rebus Confraternitatis disponendis, in loco quasi meditullii, indicere & Definidores ad Congregationem per litteras invitare, scilicet in æstate quando longiores favent dies.

6. Inspector à Definitoribus eligitur, desumiturque primâ vice ex Lingenſibus, secundâ ex Monasteriensibus, tertiâ ex Onabrugensibus Confratribus. Ex aliis Provinciis aut Regionibus sicut in Confraternitatem non admittuntur; ita quoque multo minus eligi possunt, tum ob summi Pontificis sic approbantis auctoritatem;

tatem: tum ob difficiliorem communica-
tionem, & propter locorum distantiam
schedarum mortuariarum transmittenda-
rum difficultatem; tum denique ob mini-
mè arduam, alibi quoque similes Confra-
ternitates erigendi, ac instituendi facultatē.

7. In Conventu annuo, hætenus Tel-
geti apud Beatissimam Virginem Matrem
dolorosam celebrato, Horâ tertiâ, quæ
modo est Nona matutina, qua SS. Apосто-
li act. 2. dicebantur *Madere musto, quos
Spiritus Sanctus repleverat*, Inspector ce-
lebrat Missam de Spiritu Sancto, à Sacro
in loco deputato post Hymnum *Veni san-
cte Spiritus* flexis genibus decantatum,
causam congregationis depromit, finita
brevis dictione præsidet, & satisfactionem
de lectis sacris menstruis & hebdomada-
riis à singulis Definitoribus in scripto po-
stulat, omnia dirigit, dubia proponit, vel
proposita cum aliis resolvit, admissorum
nomina colligit, & per Secretarium in Al-
bum, sive ad Prothocollum generale re-
ferenda curat, Defunctorum quoque nu-
merum examinat, negligentes, & se satisfecisse
non indicantes expungit. Quod si
ad

ad singula propter angustiam temporis non satis responderi possit, ea pro memoria annotantur aliàs commodius resolvenda, ac dein resoluta illi, cujus interest, dicto Secretario postmodum transmittenda.

8. Si quidpiam mali exempli, aut scandali publici in quopiam Confratrum, notatum fuisse resciat, de remedio deliberat, & vel per se, vel per Definidores, aut alios suaviter monendos curat, & ad meliora hortatur.

9. Denique pro viribus enititur, ut Canones & statuta Confraternitatis, à quibus flos ejus dependet, probè observentur.

OFFICIUM

DD. DEFINITORUM, & ASSISTENTIUM.

Quemadmodum Principes suos Consiliarios, Consules, Scabinos, Duces, Tribunos, aliique, Reipublicæ sive sacrae, sive politicæ Præsides, suos numerant Vicarios, Præfectos, & Officiales: ita quoque Sodaliū nostri Inspector, suis indiget
Defi-

Definitoribus & Assistentibus, qui ei sint à consiliis, in partem laboris veniant, & in rebus ad Confraternitatem spectantibus, fideliter assistant. Et veluti olim Moyse, populi Israëlitici Duci, Numerorum 11. 17. Mandavit Dominus ut de Senioribus seligeret, qui regiminis curas secum partirentur: *Ut sustentent, inquit, tecum onus populi, & non tu solus graveris*, in tanta sexcentorum millium virorum [præter fœminarum, prolium, famulorum, famularumque vulgus innumerabile] regendâ multitudine: sic quoque, si parva licet componere magnis, conveniens est, ut Confraternitatis nostræ, ad 445. Sacerdotes numerantis, Inspector suis gaudeat Definitoribus & Assistentibus, qui è Senioribus seu Presbyteris electi, & virtute prudentiâque præditi, zelo coadunato, cumInspectore, Confraternitatis onus sustinere valeant. Horum autem officium est, ut ex Bulla sæpedicta liquet, quod sequitur.

1. DD. Definitorum est, in rebus variis præsertim dubiis, quid agendum, omitendumve sit, cum D. Inspectore definire,

ac determinare. Assistentium verò est Definitoribus consilio & auxilio assistere: atque Confraternitatis bonum, incrementum, ac negotia promovere.

2. Definidores eliguntur ab Assistentibus, seu Promotoribus provincialibus: hi verò à Definitore denominantur; cui licet, de consilio & recommendatione Assistentium, Confraternitatis Candidatos inscribere, seu in album referre.

3. Definidores octo numerantur, unus quidem in Provincia Lingensi, & unus in Diocesi Osnabrugensi, ac sex in Diocesi Monasteriensi, qui in suis Districtibus scilicet 1. Monasteriensi. 2. Coesfeldiensi. 3. Warendorpiensi. 4. Rheinensi. 5. Vechtingensi & 6. Emslandico Cloppenburgensi suos Assistentes vel Promotores censent, quatenus in destinandis constituendisque Defunctorum suffragiis se invicem juvent.

4. Definitorum & Assistentium officium non est perpetuum, sed triennate, juxta Bullam, quod in Congregatione annuali renovatur vel confirmatur.

5. Definidores in locum Inspectoris De-

Defuncti, novum eligunt, quem huic muneri aptiorem judicant.

6. Definitorum cumInspectore, & Assistentibus quot annis, in loco medietullii conveniunt, die statuto, deque rebus Confraternitatis disponunt.

7. Si quem ex Confratribus diem suum obire contigerit; obitus illius actutum Definitori Provinciali denunciatur: qui, si occasio propinqua defuerit, cum adminiculo Assistentium, seu Promotorum suorum, & expensis dictæ Confraternitatis, id aliarum Provinciarum Definitoribus, per postam aut Nuntium, quantocyus significandum procurat.

8. Demum ut Canones & statuta observentur, pro viribus collaborant.

O F F I C I U M

*SINGULORUM DD. CONFRATRUM
EX BULLA INNOCENTIANA
ANTEDICTA.*

1. Singuli Confratres, quasi Corporis
Suius membra, mutuâ charitate con-
iuncta,

juncta, quæ sacrificiis & precibus, quæ exemplis & monitis sese invicem juvant, & tam singulorum Confratrum, quàm Confraternitatis universæ bonum, incrementum, & progressum in spiritu, procurantur.

2. Quovis mense, pro felici Confratrum viventium morte à Divina Bonitate impetranda semel Missæ sacrificium offerunt.

3. Qualibet hebdomade Missam de requiem nuncupatam, pro refrigerio animæ illius Confratris, quam ex hac vita decedere contigerit, celebrare tenentur. Quod si plures illo anno decesserint, hujusmodi obligationi satisfaciunt celebrando hebdomadatim unam Missam de requiem, mutato tamen numero singulari in pluralem, juxta rubricam Missalis Romani, vel etiam Missam de sancto ad dictum tamen finem applicandam, si ob festum incidens mox tacta Missa de Requiem celebrari nequeat.

4. Singuli Confratres, Definitori suæ Provinciæ, sese obligationi prædictæ satisfecisse in scriptis propriâ manu firmatis, signi-

significare tenentur; qui autem anno integro elapso, respondere neglexerit, eo ipso se à dicta Confraternitate exclusum esse sciat.

5. Si quis ex dictis Confratribus ægrotauerit, unum è Confraternitate eligere, atque assumere poterit, qui ei consilio & opere assistere teneatur; & ipso legitime impedito, quò minùs id per se ipsum præstare possit, alterum ad hoc substituere, & nominare poterit.

6. Quilibet juxta Canonem 14. eligi potest, & ipse aliquem è Confratribus eligit, qui affectuosè & suaviter moneat & corrigat, si quid minus decorum, aut ipse notaverit, aut fama divulgaverit: qui & in extremis assistat, & obitum Confraternitati denuntiet.

7. Denique singuli observare student, quæ de frequenti confessione, & celebratione, de fuga ebrietatis, de librorum spiritualium lectione, necessario studio, vestium & morum honestate, lectione, super mensam, ordine diei, oratione mentali, & asceti sacra, in reliquis Confraternitatis Canonibus continentur.

EPILOGUS

Habetis hic, Domini Confratres
 quænam sint tam D. Inspectorum
 quàm DD. Definitorum, Assistentium
 promotorum & aliorum Confratrum
 officii partes, restat ut omnes & singulas
 eas rite explere satagant; à quibus, uti
 omnia alia, tum Ecclesiastica, tum politica
 Communitate, ita & in celebri Confraternitate
 nostra, ejusdem flos & vigor
 dependet. Ut verò id alacriùs præstemus
 Caritas Christi, Caritas proximorum
 Caritas tam vivorum, quàm defunctorum
 Confratrum nos urgeat, atque impellat.
 Hac moti succensique charitate
 singuli præsentem expositionem sæpiùs
 relegere, & ex ea officii sui obligationem
 cognoscere atque implere studeant, describentes
 eas, ut Salomon ait, in tabula cordis sui;
 [memoria scilicet, intellectu & voluntate]
 ne eas vel ignorantia, vel oblivione
 vel tædio, vel contemptu prætermittant;
 sed ex charitate, & ex fœderato
 inito, accuratè adimpleant: hâc ratio
 ne

ne admonitionem Apostoli præclare
 exequentur, ad Rom. 13. 7. *Reddite
 omnibus debita, cui tributum, tributum,
 cui honorem, honorem (cui sacrificium,
 sacrificium, cui monitionem, monitio-
 nem) nemini quidquam debeatis, nisi
 ut invicem diligatis: qui enim diligit
 proximum, legem implevit: plenitudo
 legis est dilectio: Neque periculum erit
 ut in quopiam quis excedat, modo in
 corde dilectio regnet. Accipe, inquit S.
 Augustinus Tract. 7. in Epist. S. Joannis,
*Semel breve præceptum, dilige, & quod
 vis, fac: sive taceas, dilectione taceas;
 sive clames, dilectione clames, sive emen-
 des, dilectione emendes; sive parcas, di-
 lectione parcas. Radix sit intus dilectio-
 nis; non potest de ista radice nisi bonum
 existere: nec solum tibi erit bonum; sed
 iis etiam, quæ tibi sunt commissi; nam om-
 nia illis erunt utilia, cum vident esse cum
 amore conjuncta. Hæc Dei & proximæ
 charitate nixa, stabit Confraternitas no-
 stra; ut enim inquit idem Apostolus 1.
 Corinth. 13. 8. *Charitas nunquam exci-
 dit. Ac proinde quæ illi innititur, stabi-***

lis est conjunctio, & confœderatio, omniaque cedunt inconjunctorum, ac confœderatorum utilitatem.

Præstemus itaque D D. Confratres, ex charitate, quæ sunt præstanda; quod si fideliter fecerimus; illæ sæ, inconculsæque stabunt Confraternitatis nostræ columnæ; & multa eximia in vivos Confratres emolumenta, & in pios defunctorum manes solatia exuberabunt.

CANON IV.

*S*emel in anno, vel per se, vel per alium, sive etiam per literas, singuli satisfactionem suam, & animum perseverandi testentur Directori, vel illius districti Assistenti.

EXPOSITIO

Confraternitas nostra laudatissima, non est aliud, nisi Societas amoris, & Sodalitas mutuæ charitatis; in qua, gubernatio, directio, Sacrificiorum oblatio, oratio, admonitio, exhortatio & reli-

reliqua omnia, ex charitate, cum charitate, & in charitate fiunt; secundum Apostoli consilium 1. Corinth. 16. 14. *Omnia vestra in charitate fiant.* Ut proinde de ea, paucis mutatis, asserere posse videamur, quod S. Augustinus l. 13. de Civ. Dei. c. 8. de qualibet Civitate edixit *Civitas est conjunctio quadam multorum hominum, vinculo bonæ & honestæ cujusdam amicitiaë ligatorum: quo vinculo deficiente mox ipsa perit: nam ut ipse Salvator ait: Omne regnum in seipso divisum desolabitur.* Lucæ 11. 17. Ita similiter dicamus: Confraternitas nostra est conjunctio & confœderatio multorum Sacerdotum mutuaë charitatis vinculo, & de Sacris legendis pacto, ligatorum; quo disrupto, aut deficiente, ipsa quoque deficeret.

Quotquot in hac confœderatione numeramur; [numeramur autem modò circiter 480] pium inter nos fœdus sanximus, legendi menstruè sacrum pro Confratribus vivis, & hebdomadariè pro defunctis: quæ duo, potissima fœderis initi puncta, & quasi capita censentur,

rur, aut cardines, circa quos fodalitii
 nostri machina volvitur. Iam verò nemo
 nostrum, ut remur, adeo hebes est, &
 ignarus; qui, sola nominis sui in album
 Confraternitatis relatione, & omisâ
 pacti impletione sacrificiorum Confra-
 ternitatis seu in vita, seu à morte
 in flammis purgantibus, participem se
 fore arbitretur; fœdus enim nostrum,
 in mutua charitate fundatum, radica-
 tumque est, quo tacitè quodammodo
 dicimus; do ut des; sacrifico ut sacrifices;
 Deo approbante, & oblata sacrificia,
 tam vivis, quàm defunctis, pro cuiusque
 fidelitate, & meritis applicante, ac dis-
 pensante. Quare ut pactum hoc in suo
 robore & vigore firmius, constantiusque
 perduret, præsens Canon exigit, ut & sa-
 tisfactio, & perseverandi animus, Præsi-
 dibus semel in anno, verbo, & scripto ve si-
 gnificetur. Quo quid facilius? quid levi-
 us, aut exilius exigi potest? Quod si verò
 quispiã tantillũ laborẽ seu molestiam re-
 fugiat; an non ejusmodi, tot milleno-
 rum sacrificiorum fructum, ac valorem
 infinitum parvipendere, adeoque iisdem
 indignus esse meritò censebitur?

Ut

Ut igitur tam satisfactionem , quàm perseverandi voluntatem alacriùs , libentiùsque præstemus & significemus ; quemadmodum in expositione Canonis secundi , Sacrificiorum pro nobis offerendorum necessitatem ; ita nunc eorundem utilitatem nonnihil declarabimus ; hoc ordine , ut auspicemur à vivis ; ac deinde ad defunctos digrediamur .

I. Celebriamo quot mensibus sacrum , pro felici morte Confratrum vivorum , ut Canon I I & Bulla Innocentiù XI. innuit : hic nempe finis , hic Scopus est , mors felix & beata , à quâ felix & beata pendet æternitas ; Et quoniam mors Echo vitæ est ; & mors finis , at vita medium ; finis autem absque mediis obtineri nequit : hinc est , quod dicta sacrificia , non solùm ad piam , sanctâmque mortem ; verùm etiam ad piam , sanctâmque DD. Confratrum vitam , à Divina Bonitate & Clementia obtinendam dirigantur . Quod si porrò non solùm Sacrificiorum valorem , virtutem , & efficaciam , tum satisfaciendi , tum impetrandi maximam consideraverimus [Theologi docent esse infinitam] sed etiam innu-

meras indigentias & necessitates nostras, uti & pericula ac scopulos perpenderit; haud dubiè, non ad sacrificia duntaxat promptè offerendum, & de satisfactione edocendum, verùm etiam ad perseverandum in proposito, mirificè animabimur.

Hæccine pericula, hos Scopulos, ad quos animæ Ecclesiasticæ cymba non rarò ita alliditur, ut à mortis felicitis & beatæ æternitatis portu naufragetur; rescire & intueri desideratis? nisi fallimur, præ aliis memorandi veniunt insequentibus.

I. primus Scopulus est *Defectus Bonæ Voluntatis* (qui tamen in Confratribus nostris Bonæ Voluntatis minimè reperitur) In omnibus Ecclesiæ Ministris, ac Clericis, hæc ante omnia, bona voluntas requiritur: Volo servire Deo & Ecclesiæ Dei: volo esse servus IESU CHRISTI. Ex quo tonsus sum & ordinatus Sacerdos, Christi minister factus sum, ac proinde Mundo Carni ac Dæmoni non ampliùs serviam. Talem se nominabat Apostolus ad Rom. c. I. 1.

Paulus

Paulus servus IESU CHRISTI. Hic est primus titulus honoris, hæc est prima qualitas omnium Ecclesiasticorum, ut scribit Cardinalis Bellarminus l. 2. de gem. col. c. 5. Ut sint servi Christi, & servi Christi, non quomodocunque, sed propriè, id est, toti addicti obsequio Christi; ut spoliati omni aliâ curâ & sollicitudine, unum negotium sit Christo famulari, in studio propriæ & alienæ salutis, ac lucro animarum. Servus enim quidquid est, Domini est; quidquid habet, Domino habet; quidquid potest, Domino suo potest. Tales fuisse Apostolos perspicuum est, ex illis verbis beati Petri Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Et ex illis beati Pauli 2. ad Tim. 2. *Labora sicut bonus miles CHRISTI IESU: nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ne placeat ei, cui se probavit.* Hinc Apostoli, ut in sola Christi gloria & animarum salute quærenda laborarent; etiam rerum temporalium ad Ecclesiam pertinentium curam aliis demandabant; ut ipsi rebus spiritualibus unicè intenderent: *Non*

E s

est

est equum, inquebant, nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Act. 6. & pro cibo, potuque sollicitudinem gerere.

Quod ipsum faciendum Episcopis Apostolorum successoribus [atque in his etiam Prælati, Pastoribus ac Sacerdotibus] docet Concilium Carthaginense IV. c. 20. his verbis *Episcopi nullam rei famularis curam ad se revocent, sed lectioni & orationi & verbi Dei prædicationi solummodo vacent.* Quâ de re S. Bernardus loquitur l. 4. de consideratione c. 9. *Quid inquit, Episcopo [Prælato, Parocho, Presbytero] Turpius, quam incumbere suppellectili & substantiâ suâ? scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moveri ad quacunque perdita, vel neglecta? Verum, quàm longè, nonnullos è Clero, ab hoc antiquo jure & more; hoc, præsertim ævo, deflectere cernimus? Quot sunt, prò dolor! qui majorem pro equis & vaccis, pro pratis & satis, quàm pro sua & ovium suarum salute æterna curam gerant? Quot sunt, qui plùs opibus terre-*
nis,

nis, quàm cœlestibus divitiis coacervãdis
inhient? plùs pro nummis in arcam infe-
rẽdis, quàm pro animabus orcì faucibus
eripiendis & in patriam cœlestem inve-
hendis distineantur? At necessitas, inquis,
cogit, mos obtinuit, consuetudo præ-
scripsit. Necessitas fateor, legem nescit,
si vera sit, quod expendendum venit; at
in vetito, malòque haud præscribitur.
Quot sunt, qui alienis à Clero, & sæcula-
ribus negotiis, minimè sibi necessariis
sele ingerunt? Ne autem hæc labeles quen-
quam nostrum corripiat, & animæ cym-
bam in Scopulum salutis æternæ pericu-
losum illidat, quid Sacrificiis pro gratia
imperranda utilius? quid necessarium
magis?

2. Alter Scopulus in quem nonnun-
quam Ecclesiastici impingunt, est *De-
fectus vocationis* ad statum Clericalem;
dum vocationem Dei non exspectant,
nec cum Apostolo dicere queunt, Rom.
I. I. *Vocatus Apostolus*, id est à Deo ad
Apostolatam vocatus. Atque inde ori-
tur quod non sint veri Servi Jesu Christi:
qui enim se ipsos intrudunt, & quærunt

aut Ecclesiis, aut amplis parochiis praefici, aut aliis pinguibus beneficiis, & quandoque pluribus simul provideri, ut honore vel opibus potiantur, mirum esset, si quærent, quæ sunt Jesu Christi; sed suarum cupiditatum sunt mancipia. Et illi quoque qui non per se quærunt prælaturas, divites parochias, aliave Ecclesiastica beneficia; sed ab alio accipiunt, non quod sint cæteris aptiores & digniores; aut Ecclesiæ Dei utiliores; sed quod sint propinqui sanguine, vel quod potentes aut magnates habeant fautores; non vocantur à Deo, sed à carne & sanguine; nec Jesu Christi, sed hominum servi evadunt, ideóque mirum non est, si non se totos Christi obsequio impendant; cùm non propter Christum vocati sint; sed, propter opes augendas, vel familias nobilitandas. Rectè igitur S. Bernardus admonet Eugenium Papam l. 4. de confid. *Alius, inquiens, pro alio, alius fortasse & pro se rogat pro quo rogaris suspectus sit; qui ipse rogat pro se, jam judicatus est. Et infra Itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes*

Etantes, sed renuentes etiam coge illos & compelle intrare. Ita laudatus ante C. Bel-
larminus. Ut jam nemo ejusmodi farinae
in Confraternitatem nostram irrepat,
aut sit; vel si sit, ut Dei miseratione, emen-
detur, contritionem eliciat, intentionem
sinistram in meliorem commutet, since-
rè, unicèque Deo servire, ac totum se
ejusdem obsequio consecrare decernat;
quid sacrificiis utilius? quid convenien-
tius? quid efficacius?

3. Tertius, utinam rarus! Cleri præ-
sertim curati Scopulus, est *Defectus*
predicationis Evangelii: hoc enim, à
Deo ad animarum curam vocatorum,
est officium, quod explicat Apostolus his
verbis: *Segregatus in Evangelium Dei*
Rom. 1. 1. Episcopale & Pastorale mu-
nus Apostolicum est, & in illos cadit
Christi Domini dictum Joan. 20. *Sicut*
misi me Pater, & ego mitto vos. Quorsum
verò Pater Filium miserit, ex Isaiaè Pro-
phetia declaravit idem ipse Filius, dicens
Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, prop-*
ter quod unxit me, evangelizare paupe-
ribus misi me. Illudque munus in vicis &

castellis, in templo & Synagogis, in campis & desertis, in montibus & in mari, in domibus privatis & mensis, Christus Dominus constantissimè exercuit, Quem & Apostoli imitati sunt, illam functionem sibi propriam esse declarantes, cum dicerent Act. 6. *Nos orationi & verbo Dei instantes erimus.* Et S. Paulus 1. Corinth. 9. *Si Evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: va enim mihi si non evangelizavero.*

At quis hîc rursus in variis animarum Curatoribus defectus? quot illorum, Væ istud meritò reformident? Qui Catecheses & rudium instructiones intermittunt, Verbum Dei non annuntiant, aut ex eo plausum captant, aut negligenter se comparant, aut ad captum auditorum non perorant: adeoque populum in ignorantia & vitiis detinent & in damnationem æternam præcipitant. Ut igitur hæc lues, cœlitus quasi repercussa, minuatur & cesset: quid divinis sacrificiis ad impetrandam gratiam efficacem melius? quid conducibilius? quid potentius?

4. Scopulus quartus est *Defectus Ecclesiasticæ conversationis* & vitæ clero dignæ, qui complures, ac terribiles Scopulos involvit, de quibus, ex parte, aliàs egimus. Quot enim animas Ecclesiasticas, in orbe terrarum, extra Confraternitatem nostram laudabilem, superbiæ, ambitionis, & vanæ gloriæ charybdis haurit & mergit in profundum? Quot scylla vorax gulæ, commestationis & temulentiaë absorbet? Quot syrtis avaritiæ, simoniæ & philargyriæ in abyssum præcipitat? Quot animas luxuriæ & immunditiæ, ingentes Scopuli acroceraunia, sed fulmini maximè obnoxia, quantunt, ac diffringunt? Quot denique naves ad acediæ tepiditatis & oscitantiaë rupem diffiliunt, dum Prælati, Parochi & animarum Curatores, toti rebus terrenis immerfi, ovibus suis non invigilant; horarum pensum absque attentione & devotione persolvunt, mysteria divina in supellectile sordida celebrant; cœlestia Sacramenta, indignis vel indignè ministrant; plebem fidelem, ad salutem necessaria, non docent; atque ita animæ
æter-

æternum pereunt, pro quibus Christus mortuus est; dum ipsi interim toti in eo sunt, ut possint agros, vineas, hortos plantare, redditus augere, domum egregiâ suppellectile ornare, propinquos cumulare divitiis, vel ascendere ad gradus altiores. Ut alia scandala taceamus, quibus populum ad imitandum provocant & quos debuerant sanare, corrumpunt; illud Christi fulmen non metuentes: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit eius suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur, in profundum maris.* Matth. 18.

Sed quorsum ista ad viros bonæ voluntatis atque ab his Scopulis longè remotos, proferimus? nimirum, ut qui justus est, justificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc, & qui ab his vitiis remotus est, removeatur adhuc; & qui forte appropinquare cœperit, non appropinquet adhuc ampliùs: sed penitus recedat, idque mensuris sacrificiis à Divina Bonitate impetrare connitamur; quæ incredibili ad hunc finem energiâ & effi-

efficaciâ pollent. Unde S. Laurentius Justinianus Venetorum Patriarcha in sermone de corpore Domini exclamat: *O pretiosum convivium! O sacrosanctum mysterium, omni admiratione dignissimum? quod frequentatur in Ecclesia, ut justis gratiam, peccatoribus veniam, debilibus robur, letitiam mœstis, diligentibus exultationem, nutantibus spem, credentibus pacem, victoriam certantibus, captivis libertatem atque defunctis confert requiem! In ipso enim thesauri reperiuntur plurimi, munera copiosa, spirituales delicia, mirabilia maxima, sacra mysteria, Dei Hominisque persona.*

II. A viventibus ad vitâ functos transeamus: & ea quæ stimulo esse possunt, ut animo libenti Defunctorum Confratrum animabus, sacris hebdomadariis, solatio simus, de satisfactione Præfides certiores reddamus, nec non perseverandi animum declaremus, breviter nonnihil expendamus; & quidem potissimum hæc tria, poenarum ignis purgatorij acerbiter, diuturnitatem atque animarum hoc igne cruciatarum multitudi-

tudi-

rudinem consideremus.

1. Pœnarum ignis purgatorij acerbitas ex eo colligitur, quod SS. Patres doceant, eas, omnes hujus vitæ pœnas, rotas, catactas, enses, furcas, ignes, longe superare; teste S. Augustino in psal. 37. *Quamvis, ait futuri sint salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid homo potest pati, in hac vita.* Et quid non sustinuere tormentorum, malefici? quid non suppliciorum Martyres Christi pertulere? S. Augustino consentiunt S. Gregorius Magnus in explicat. 3. psal. pœnit. Venerabilis Beda, S. Thomas, S. Anselmus, S. Bernardus & alii, Quis igitur erit, nisi sit silice durior, qui Confratribus suis, non libenti animo, missæ sacrificiis opem ferat?

2. Alterum, quod pœnas has auget, est, diuturnitas, & longa duratio, quam Ecclesiæ usus, longissimo tempore, anniversaria sacra pro defunctis offerre solita, probat. Cui adstipulatur Tertullianus antiquissimus Author L. de anima c. 17. Et S. Cyprianus de diuturnitate pœnæ purgatorij loquens confirmat L. 4. epist.

epist. 2. inquit: *Aliud est pro peccatis
longo tempore cruciatum purgari diu ig-
ne; aliud peccata omnia passione purgasse.*
Quod & S. Ludgardi de Innocentio III.
Pontifice revelatum esse, scilicet eum uf-
que ad extremum iudicii diem in purga-
torio cruciandum; refert Surius in vita
Tom. 3. ad diem 16. Junij. O quis igitur
non libentissime miseris solatium af-
ferre, & tormenta abbreviare allaboret?
Canis in igne ardentis miseremur, &
Confratris Sacerdotis & amici Dei non
miseremur?

3. Denique tertium, quod calcar
Nobis queat addere, est innumerabilis
animarum purgandarum multitudo.
Ratio perspicua est: cum enim nihil co-
inquinatum admittatur in regnum coe-
lorum; sed soli illi recta ad conspectum
DEI qui lux est, penetrent; in quo tene-
brae non sunt ullae; & soli illi locum in-
finitae puritatis intrare valeant, qui vere
sunt sancti atque omnino immaculati, &
qui ad Ecclesiam illam pertinent, in qua
non est macula neque ruga: ejusmodi
autem rarissimi sunt; sequitur, ceteros
omnes,

omnes, qui ad Electorum numerum pertinent, per ignem purgatorij transire, donec penitus expurgentur.

Hæc si perpendamus DD. Confratres; quis non promptâ voluntate piis animabus Sacerdotum Filiorum DEI dilectorum, per sacrificia solatium auxiliumque ferat; præsertim cum ab illis, mutua sibi charitatem & misericordiam abundè præstandam, suo tempore confidat: & quâ mensurâ mensus fuerit, sibi remetiendum non ignoret? Quis satisfactionem indicare Præsidibus tergiversetur; cum hæc ipsa insinuatio, ad satisfaciendum stimulus esse queat? Quis animum perseverandi abjiciat; cum hæc pro defunctis oblatio, honestissima, justissima & lucrosa sit negotiatio; non secus, ac si quis, eandem pecuniam, tribus ad censum tribueret, & à singulis censum integrum reportaret? His enim sacrificiis sibi acquireret per modum meriti, vitæ æternæ præmium; deinde animabus Defunctorum, per modum satisfactionis pendit lytrum: denique per modum impetrationis eisdem obtinet libe-

liberationem, seu visionem beatificam, aut saltem refrigerium. Et quod quartum est, anima per ipsum liberata, atque in cœlestem patriam admissa non ingrata sese exhibebit, sed pro ipso apud supremum Numen intercedendo, liberatori vicem rependet; adeoque quadruplici fœnore locupletabitur.

EPILOGUS.

Quæ cum ita sint, *Illustrissimi Reverendissimi, perillustres, Amplissimi, Admodum Reverendi, ac Venerabiles Domini Confratres*, Omnia nostra in charitate, ac bona benevolâque voluntate fiant: ex charitate & benevolentia sacrificiis mensuris adjuvemus Confratres vivos: ex charitate & misericordia, hebdomadariis solemur, aut liberemus defunctos: ex charitate & fidelitate nos partibus nostris non defuisse significemus: ex charitate, & constantia in sancto fœdere perstare cupiamus, promptumq; perseverandi animum quot annis accuratè contestemur: ex quibus
 magna

magna in nos emolumenta spiritualia
 redundabunt.

Non ignoramus nos inter innumera
 salutis æternæ pericula, veluti inter scyl-
 las & Charybdes versari; & meritò me-
 tuere possumus, ne in Scopulum ali-
 quem, animæ nostræ cymba illidatur:
 Scopuli ejusmodi, ut meminimus, sunt
 defectus Bonæ Voluntatis, defectus vo-
 cationis, defectus prædicationis, defe-
 ctus probæ conversationis, gravissimi-
 que alii, superbiæ, gulæ, avaritiæ, lu-
 xuriæ, & acediæ insultus ac tentationes:
 è quibus Scopulis, ut anima nostra ad
 optatum beatæ æternitatis portum feli-
 citer eluctetur; quodnam medium, cre-
 bris missæ sacrificiis utilius, efficacius,
 divinius reperiri poterit? ac proinde si
 finem serio desideremus, media non
 negligamus, sed ea constanter adhibea-
 mus.

Deinde hebdomadariè pro Confra-
 tribus defunctis celebrare minimè gra-
 ve, aut difficile reputemus, nec hebdo-
 madaria sacra in menstrua aliquando
 commutari cupiamus; longè enim aliter
 sen-

sentiemus, ubi flammis purgantibus immerſi exquisitis tormentis cruciabimur: quando nobis hora, annus; dies, luſtrum, aut olympias; hebdomas una, præ dolorum, & tormentorum atrocitate, annorum myrias aut millio eſſe videbitur. Incredibilis enim, ut vidimus eſt ignis purgantis acerbitas: ingens non raro diurnitas, nec eſt animarum illuc deſcendentium, & ardentium paucitas: juvemus igitur pro virib⁹, & quod nobis ſuo tempore præſtari optabimus, modo promptè libentèrque aliis ex fœdere inito præſtemus; ac præſtitifle, quot annis inſinuare ne gravemur; ſimulque in bona voluntate perfeveremus: hoc pacto ex parte noſtra Confraternitatis Canones in flore conſervabimus, multos excellentiſſimos actus patriæ erga Deum, charitatis erga vivos, miſericordiæ erga deſunctos exercebimus, & ut viciffim nobis par pari referatùr, hiſce virtutibus promerebimur; ſicut enim, ut S. Jacobus Apoſtolus in epiſtola ſua c. 2. minatur: *Judicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam*: ita è contra teſte

ſte

ite æternâ veritate: *Beati misericordes,
quoniam ipsi misericordiam consequen-
tur Matth. 5.*

CANON V.

Exemplo erunt, si sæpius confiteantur,
& quotidie celebrent ad aram: ca-
veant autem, ne lucri potius, quàm de-
votionis Causâ accedant.

EXPOSITIO

Terna, eaque sanctissima, nobisque
utilissima, Confraternitas nostra,
Sacerdotibus bonæ voluntatis, com-
mendata desiderat puncta: scilicet, ut
crebrò per exhomologesin sacrum ani-
mum expiemus, quotidie sacrosanctum
Missæ sacrificium Deo omnipotenti ad
aram offeramus, ac denique ut ad ipsum
non lucelli terreni gratiâ, sed eximiâ pie-
tate ac devotione permoti accedamus.
Quanto autem Jure, & æquitate, id
à nobis requirat, abunde liquebit, si tan-
ti sacrificij necessitatem, dignitatem, uti-

lita-

litate[m]que penitus inspexerimus. Si enim in hoc divinissimo sacrificio corpus & sanguis Jesu Christi Domini ac redemptoris nostri, cum anima & divinitate sub speciebus panis & vini, verè ac realiter sumitur ac immolatur: quis non videt, quanta puritate, quanta aviditate, quanta devotione illud sit frequentandum! si sanguis & caro Christi nos pascit, cibatur & potatur, sustentat & confortat, Deo unit & copulat, secundum illud Joan. 6. § 1. *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo, Quis non cernit, quantam puritate, quantam aviditate, quam devotione cibus ille & potus sit sacerdotibus sumendus? Si hic sumitur cibus & manna Angelorum & panis cœlestis, è Cœlo delapsus, Joan. 6. *Hic est panis de Cœlo descendens, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Et Sap. 16. *Angelorum esca nutrit populum tuum, & paratum panem de Cœlo presticisti sine labore, omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suavitatem.***

F

tatem.

tatem. An non meritò Angelica puritas, quotidiana manducatio, & perquam singularis devotio à nobis requiretur ne ab hoc cœlesti & nuptiali convivio, absque debitis, & ornatis vestibus animæ comparemur, & velut indigni expellamur, audientes illud Regis convivium hoc adornantis: *Amice quomodo hic intrasti non habens vestem nuptialem?* Matth. 22. Ne id nobis accidat, terna hæc puncta à Confraternitate desiderata, præsentis expositione dilucidabimus; nimirum 1. Ut crebrò per sacra exhomologeseos Sacramentum animæ fordes abluamus: 2. Ut quotidie ad aram faciamus & sanctissimum Missæ sacrificium Deo o. m. immolemus. 3. Ut id non lucri vilis spe; sed ex sincera pietate, devotione ac charitate frequentemus.

I. Primum ad quod Confraternitas nostra hortatur, est ut crebro peccata nostra expiemus. Doctor Gentium, de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento tractans, 1. Corinth. 11: 28. Monet sacram Synaxin adituros; ut se ante probent, id est conscientiæ latebras excutiant,

ant, contritione & confessione peccata eluant, & sic de pane Cœlesti edant: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Quam confessionis probationem, ex jure divino seu Christi institutione, ab Apostolo requiri atque intelligi docet Concilium Tridentinum sess. 13. can. 7. uti & S. Cyprianus serm. de lapsis & S. Leo epist. 91. Ut igitur Sacerdos, ad Agnum Dei immaculatum, omnisque puritatis fontem purior accedat: 1. probet se, & si quas reperiat, à maculis peccatorum lethalium se ante omnia emundet. Deinde ut exponit S. Chrysostomus & S. Ambrosius, peccata venialia, eorumque radices, serio proposito, pia ad Deum oratione, confessione & expiatione delet atque evellat. Hæc enim de causa Redemptor noster pedes Discipulorum, etiam Judæ proditoris, abluit; ut quantâ mentis munditiâ, ad purissima hæc mysteria accedendum sit, demonstraret. Cùm enim in medio Angelorum consistamus ad aram, & Angelorum Dominum ac Regem manibus tractemus, atque ore sumamus;

mamus; par est, nos quoque puritatem Angelicam pro viribus æmulari. *Quis enim fidelium*, ait S. Gregorius L. 4. Dial. 58. *Habere dubium possit in ipsa immolationis horâ, ad Sacerdotis vocem, cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio, Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri.* Unde mox cap. 59. subdit: *Sed necesse est, cum hac agimus nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui Passionis Dominice mysteria celebramus, debemus imitari quæ agimus. Tunc enim verè pro nobis hostia erit Deo; cum nos ipsos hostiam fecerimus.*

Neque duntaxat per contritionis lacrymas & pœnitentiæ Sacramentum, quandoque aut rarò peccata expiare, nosque in hostiam pro peccato, Deo immolare oportet; sed sæpius, ut Canon insinuat. Quò majori puritate animæ niteamus. Quemadmodum enim homines, honestioris conditionis, mappas aliâque linteamina sæpius lavant, sæpius.

piusque domum purgandam curant ;
 ita Sacerdotes decet, non minorem ani-
 mæ suæ munditiei curam impendere. Et
 quemadmodum araneus, divitum cu-
 bicula crebrò purgari solita, devitat ;
 eò quòd telas suas mox scopis detergi
 cernat; ita & Diabolus, dum tentatio-
 nes suas frequenti exhomologesi dissi-
 pari notat, fugit eos homines, qui fre-
 quentiùs ad tribunal sacrum peccata ex-
 piaturi accedunt. In primis verò sequen-
 tes fructus, ex hujus Sacramenti fonte,
 tanquam rivuli promanantes, ad cre-
 bram exhomologesin nos valent per-
 movere.

I. Crebra exhomologesis antidotum
 est contra relapsum; ob gratiam, quam
 vocant, Sacramentalem, nos corrobo-
 rantem & perseverantem : quemadmo-
 dum enim, morbo depulso, remanent
 ejus reliquiæ, pravæque in membris dis-
 positiones, quæ nisi contrariis evacuen-
 tur medicamentis, ægritudinem nullo
 negotio revocant, vel instaurant: ita in
 nobis, post exhomologesin primam
 remanent vitiorum habitus, ex actibus

frequentatis geniti , qui nisi pœnitentiæ Sacramento , aliisque alexipharmacis curentur , facilè in delicta pristina relabimur. *Confessio* , inquit S. Isidorus L. 1. c. 12. *sanat* , *Confessio justificat* , *Confessio peccatis veniam donat* , *Omnis spes in Confessione consistit*. Quis igitur medio præservativo tam potenti non crebrò uti desideret ?

II. Alter rivulus est , quotidianarum noxarum ablutio. Sacramentum enim pœnitentiæ , secundum Zachariæ vaticinium c. 13. est fons limpidissimus , Ecclesiæ Christi promissus , ad diluendas quotidianas peccatorum maculas. *Fons patens habitantibus Jerusalem in ablu-tionem peccatoris*. Et licet plurimi , per Dei gratiam , à gravioribus noxis immunes degant ; à levioribus tamen , nec justis liberi existunt , *Septies enim cadet justus & resurget*. Proverb. c. 24. 16. Veluti Molitores in mola versantes , farina pulvisculos penitus devitare nequeunt ; ita & nos in mundi hujus molendino , degentes , noxarum levium pulveres omnino effugere non valemus :
ideó-

ideoque sæpius hi per pœnitentiæ scopos detergendi sunt.

3. Tertius rivulus est, inquietudinis & perplexitatis depulsio. Nam sicut coma, quæ rarò pectitur, usque adeò implicatur, ut haud absque dolore extricari valeat; ita & conscientia, quæ rarò per Confessionem pectitur, intricata remanet, nec absque labore, purgari, ordinari, ac tranquillari valet. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Prov. 28. 13.

4. Quartus rivulus est, augmentum gratiæ; quotiescunque enim Sacerdos per Sacramentum pœnitentiæ, animæ sordes abluit; novum ipsi gratias incrementum accedit: primò quidem *ex opere operato* ut scholæ loquuntur; Christus enim huic Sacramento, sicut & cæteris sui sanguinis pretiosi virtute & merito, quandam gratiæ portionem contulit, Sacramentum hoc participantibus communicandam. Deinde *ex opere operantis*, seu hominis sese præparantis, contritionem elicientis, sese hu-

miliantis, pectus tundentis, pœnitentiam injunctam implentis, aliósque fidei, spei, charitatis & religionis actus elicientis: ita ut majori ejus præparationi ac devotioni, gratia quoque major respondeat... Et hic est rivulus, seu potius *fons aqua salientis in vitam æternam*. Joan. 4.

5. Ut paucis multa complectar, & reliquos rivulos, sanè utilissimos & limpidissimos, combinem. Crebrior Confessio pœnas peccatorum sive ex integro, sive ex parte abolet. 6. Pravas inclinationes, habitúsque malos atterit, & altiores in anima radices agere non finit. 7. Tentationes Diaboli minuit, quoniam fraudes ejus sæpius detegit, ac vincit. 8. Conscientiæ pacem ac serenitatem parit, gaudium spirituale ac fiduciam adsciscit: nam *Secura mens quasi jure convivium*. 9. Securitatem quoque adfert dum mortis & judicii, inferni que metum ac horrorem imminuit. 10. Melius Sacerdotem, ad oblationem, sacrificium & communionem disponit. 11. Instrumentum animabus lu-

cran-

crandis aptius, purius, perfectius, Deo-
 que conjunctius reddit, adeoque ad ma-
 jus auxilium proximorum confert. 12.
 Majorem in cœlo gloriam, gratiæ ma-
 jori respondentem promeretur. O fru-
 ctus nobiles! ô rivuli & fontes gratiarum
 omnino præstantes!

Atque his rationibus viri sancti,
 gratiæ, perfectionis & gloriæ æternæ
 cupidissimi, fuere permoti, ut hoc Sa-
 cramentum creberrimè frequentarent,
 & plurimi quidem quotidie, alii binis
 vicibus indies. Tu saltem, Sacerdos Al-
 tissimi, si occasio detur, saltem binis in
 hebdomade diebus animam tuam à
 quotidiano delictorum pulvere emun-
 da. Exactissimam enim puritatem, fan-
 ctissima Corporis & Sanguinis Jesu my-
 steria, jure sibi vendicant. Hinc S. Chry-
 sostomus exclamat: *Quo non oportet pu-
 riorum esse, tali fruente sacrificio? Quo
 solari radio non splendidiorum manum,
 carnem hanc dividendum? Os quod igne
 spiritali repletur: linguam quæ tremen-
 do nimis sanguine rubescit? Cogita, qualis
 mensâ fruaris. Quod Angeli videntes*
 F s horre-

horrescunt, neque propter emicantem splendorem liberè audent intueri, hoc uno pascimur, huic nos unimur, & facti sumus unum Christi corpus & una caro.

II. Alterum quod Canon suadet, est quotidiana sacrificii Missæ oblatio. Ad hanc hortatur Doctorum Aquila Augustinus, scribens in S. Matth. Evang. *Accipe quotidie, quod quotidie tibi profit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere, qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Augustino adstipulatur S. Ambrosius de Sacramentis: *Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illud semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur, Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.* Accedat igitur quotidie quis medicina ac alimento quotidiano indiget.

Nec desunt sanctissimorum virorum exempla, quæ nos animent, atque excitent. De S. Andrea Apostolo, in horis legimus, eum quotidie Agnum Dei im-

ma-

maculatum immolasse: *Ego, inquit, Omnipotenti Deo immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in Altari, cujus carnem, posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus...* Apostolos imitata est primitiva Christi Ecclesia, primitias Spiritus retinens, & à recenti, calenti que Jesu Sanguine æstuans; ideoque in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, perseverans. Horum deinde vestigiis & exemplis institere prisci Patres sanctimoniâ vitæ illustres, & igne devotionis & fervoris bullientes. De S. Cassio Narniensi Episcopo refert S. Gregorius M. homil. 37. in Evang. Cui, mos erat quotidianas Deo hostias offerre, cumque ad horam sacrificii venisset, velut totus in lacrymas defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat... Unde à Domino audire meruit: *Age quod agis; operare, quod operaris; non cesset pes tuus, non cesset manus tua, Natali Apostolorum venies ad me,*

& retribuam tibi mercedem tuam. Sanctè igitur decessit festivâ SS. Apostolorum Petri & Pauli luce, & evolavit in cœlum. Hæc S. Gregorius. Qui & ipse, sanctissimum Missæ sacrificium magnâ cordis compunctione & præparatione indies celebrabat. Similia de aliis Priscis sanctis legimus, & hodie dum in innumeris, quâ Ecclesiasticis, quâ religiosis Sacerdotibus cernimus. Quorum vestigia legamus, si favores, gratiasque insequentes tanquam Ligni vitæ duodecos fructus longè nobilissimos decerpere cupiamus.

1. Primus Sacrosanctæ victimæ Eucharisticæ, & communionis fructus est: *Directio & regimen anime*: dum enim Christus se nobis in sacra synaxi unit, in medio nostri, velut Rex in throno suo residens, regit nos, velut Magister in medio discipulorum stans docet: tanquam Dux militem instruit ac regit: id quod Vates Regius vaticinatus est Psal. 22. v. 1. *Dominus regit me.*

2. Alter fructus est, *abundantia & plenitudo gratiæ* quod rursus David præ-

prædixit l. c. v. 2. *Dominus regit me & nihil mihi deerit.* Quid enim deerit illi; cui præsens adest pelagus immensum omnium cœlestium donorum, & mare infinitum omnium charismatum divinorum, *plenum gratia & veritatis?*

3. Tertius fructus est, *anima refectio.* Nam hoc Sacramentum pascit, nutrit, sustentat, & reficit. Teste Davide l. c. v. 1. *In loco pascuæ, ibi me collocavit.* Bonus verè Pastor, qui in pinguibus & optimis pascuis nos collocat: *Bona pascua divina Sacramenta sunt,* ait S. Ambros. O qualia pascua: Corpus Christi; caro sanguis & anima Jesu, unà cum divinitate!

4. Quartus Fructus est, *Sitis levamen;* hoc enim epulum sacrum cupiditates inordinatas sedat, passionum tumultus refrænat, & concupiscentiæ ignem velut ros divinus refrigerat, vitiorum flammæ, velut ignem in fornace Babylonica compescit & temperat. Quod Propheta l. c. indicat: *Super aquam refectiois educavit me.* Et Isaias c. 12.

*Haurietis aquas in gaudio de fontibus
Salvatoris.*

5. Quintus Fructus est *animæ con-
versio*. Si anima mea sicut ovis, quæ pe-
riit, incidat in peccati & Diaboli fauces;
Dominus eripit, & ut inquit David: *Et
animam meam convertit*. l. c. v. 2. O
quoties clamavit: *Revertere, revertere,
ut intueamur te!* Cant. 6. nec cessavit
clamare, donec vocem exaudiens re-
verterem!

6. Sextus Fructus est *deductio in se-
mitas justitiæ & perfectionis*. Insinuat
id rursum Psalmographus l. c. v. 3. *De-
duxit me in semitam justitiæ*: semita
justitiæ est, via mandatorum Dei, via
consiliorum, via inspirationum, via vir-
tutis & omnigenæ perfectionis. O Do-
mine *deduc me in semita mandatorum,
deduc me in via tua!* Psal. 118. & 85.

7. Septimus Fructus est, *protectio*, ab
hostibus, tentationibus & periculis æ-
ternæ damnationis.. Christus enim Eü-
charisticus, protector noster est, nos ve-
lut columbas pavidas, sub umbra ala-
rum suarum protegens: *Nam etsi ambu-
lave-*

lavero, in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. l. c.

ψ. 4.

8. Fructus est *Consolatio spiritualis*, spes singularis, & fiducia eximia. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* l. c. ψ. 4. nimirum virga directionis, virga regni, & baculus boni Pastoris.

9. Fructus est *Fortitudo in adversis*, robur in tentationibus, magnanimitas in persecutionibus. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.* ψ. 5. mensam scilicet Eucharisticam.

10. Fructus est *unctio gratiae*, misericordiae & laetitia. *Impinguasti in oleo caput meum.* ψ. 5.

11. Fructus est *Ebrietas spiritualis*. *Calix meus inebrians quam preclarus est!* ψ. 5. Cor hominis laetificans, moerorem depellens, excitans, animans, omniaque amara in dulcedinem convertens.

12. Fructus est *Deductio in caelum*. *Misericordia eius subsequetur me, omnibus diebus vitae meae, ut inhabilem in domo*

domo

domo Domini in longitudinem dierum.
 l. c. v. 6. Atque hi favores, hæ gratiæ,
 misericordiæ Domini ac charismata, nos
 prosequuntur, omnibus diebus vitæ no-
 stræ, quoties Jesu Carnæ & Sanguine
 pretioso saginamur: donec veniamus ad
 patriam cœlestem; ubi eum quem nunc
 velatum aspiciamus, revelatâ facie con-
 templabimur, cum summa exultatione,
 gaudio, quiete, satietate, in omnem æ-
 ternitatem secundum Christi promissum:
*Qui manducat hunc panem vivet
 in æternum.* Joan. c. 6.

Domini Confratres, quis tantos
 Eucharistiæ divinæ fructus, tamque va-
 rias benedictiones & gratias confide-
 rans; non indies libenter ad eam acce-
 dat, ut iisdem frui & repleti mereatur?
 O quàm suavis est Domine spiritus tuus!
 O quàm magna multitudo dulcedinis
 tuæ, quam abscondisti timentibus te!
 Psal. 30. *Verè dicere licet: Venerunt mihi
 hi omnia bona pariter cum ea.* Sap. 7. 11.

III. Tertium quod in Canone requirit à nobis Confraternitas nostra, est, ut
caveamus ne lucri potius causâ, quàm de-
 votio-

votionis gratiâ accedamus. Quanquam id satis constat ex antedictis: Si quis enim, non attentis, intentisque tam nobilibus gratiis, favoribus ac fructibus, jam enumeratis, vile & exile lucellum duntaxat spectaret, næ is cæcus, stolidus & ingratus, Sacerdotisque nomine & functione indignus meritò reputaretur; qui nimirum instar pueri, pro bullis & crepundiis puerilibus equum venderet, aut pomum cum nummo aureo commutaret, aut instar Euclionis avari, vile vitrum margarito, lutum auro, terram, terrenaque cælo ac cœlestibus anteponeret. Nihilominus, veluti paulò antè Sacrosanctæ Eucharistiæ, ut Sacramentum est, fructus retulimus, ita nunc quoque de ejusdem, ut sacrificium est, laudibus & effectibus, pauca attexamus, ut quàm stolidi sint Sacerdotes, cœlesti neglecto, terrenum lucrum spectantes, clariùs perspiciamus.

Quid enim? Si sacrificium ipsum intuearis, est illud longè nobilissimum, omnibus Abelis & Noë, Abrahæ & Melchisedech sacrificiis, omnibus Legis Mo-
saicæ

saicæ victimis, hostiis & holocaustis infinite præstantius. Si rem oblatam aspicias, ea est unigenitus Dei Filius, Dominus Jesus Christus, Redemptor noster, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Si ipsam sacrificandi actionem spectes, est functio eminentissima, sanctissima, divinissima, prodigiosissima, ipsis Angelicis, Seraphicis & Cherubicis Spiritibus denegata. Si finem respicias, est sacrificium *latrentium*, quo divinæ Majestati, debitum cultum exhibemus, ejusque potentiam, excellentiam, dominium, absolutumque imperium in omnes creaturas agnoscimus, profiteamur ac protestamur. Est sacrificium *Eucharisticum*, quo, pro infinitis & innumeris ejusdem beneficiis, grates referimus. Est *propitiatorium*, quod pro infinitis, maximis, horrendisque nostris & mundi universi sceleribus, in placationis hostiam offerimus. Est *pacificum* & impetratorium, quo infinitis & maximis nostris miseriis ac necessitatibus, opem atque medelam efflagitamus. Quis igitur Sacerdotum adeo vecors & stoli-

stolidus existat, ut tantis, tantique momenti finibus relictis, in obolos, nummósque paucos respiciat! Absit, absit hoc à Sacerdotibus *bona Voluntatis*, qui oculis Aquilinis itentidem, in solem divinum intendunt; non ut talpæ, oculos terræ infigunt.

Quotiescunque igitur nullum legale impedit obstaculum, ex sincera erga Majestatem divinam devotione, ejúsque gloriæ, proximorumque salutis intentione, divinam hostiam offeramus; ne damna ingentia ex neglectu sacrificií manantia incurramus. Nam ut verissimè Doctor Seraphicus S. Bonaventura scribit, in præparat. ad Miss. c. i. *Cum Sacerdos est absque peccato mortali & in proposito bono, non habens legitimum impedimentum; & non ex reverentia, sed negligentia celebrare omittit: privat Trinitatem laude, & gloriâ; Angelos lætitiâ; peccatores veniâ, justos subsidio, & grato, in purgatorio existentes, refrigerio; Ecclesiam Christi spirituali beneficio, seipsum medicinâ & remedio, contra quotidiana peccata & infirmitates. Item privat*

vat se omnibus provenientius ex sacra
 Communionē, quæ sunt peccatorum
 remissio, fomitis mitigatio, mentis illu-
 minatio, interior refectio, Christi &
 Corporis eius mystici incorporatio, vir-
 tutum roboratio, contra Diabolum ar-
 matio, fidei certitudo, spei elevatio, cha-
 ritatis excitatio, devotionis augmenta-
 tio, Angelorum convivatio. Ergo quan-
 tum potes, toto conatu, per exercitium
 boni operis, lacrymarum contritionem
 & devotionis flammam expelle à te om-
 nem teporem, & negligentiam. Hæc S.
 Doctor Seraphicus.

Quapropter, Reverendissimi, Adm.
 Reverendi Domini, conemur terna ad eò
 salutaria Confraternitatis monita am-
 babus ulnis amplecti & quidem i. ut
 crebrius, peccata nostra expiemus, se-
 cundum Apostoli edictum: *Probet an-
 tem se ipsum homo, & sic de pane illo edat
 & de calice bibat.* Probet se, examinet,
 discutiat, contritionem eliciat, & expiet,
 non modo graviora delicta, sed & levio-
 ra; quin & minimas labeculas & ut di-
 cam, pulvisculos, abstergat; ut eò purior
 ad

ad omnis puritatis fontem & Agnum
Dei immaculatum accedat : præfertim
cum ex hoc pœnitentiæ Sacramenti fon-
te, rivuli adeò salutiferi scaturiant, qua-
les sunt, à relapsu præservatio, noxa-
rum quotidianarum ablutio, inquietu-
dinis sedatio, gratiæ augmentatio, pœ-
narum debitarum relaxatio, habituum
pravorum expulsio, tentationum victo-
ria, horroris, mortis & iudicii imminu-
tio, ad sacram synaxin dispositio, major
cum Deo conjunctio, ac demum gloriæ
cœlestis amplificatio. 2. Quotidie, quan-
tùm licet, Exemplo SS. Apostolorum
primitivæ Ecclesiæ, S. Gregorii, S. Cassii
Episcopi, aliorumque Veterum Sancto-
rum, & modernorum Sacerdotum fer-
ventiorum, ad aram faciamus; ut fructus
duodenos, ex hoc Sacrificio & Sacra-
mento, tanquam ligno vitæ protube-
rantes, referamus. Nimirum animæ di-
rectionem, gratiæ plenitudinem, mentis
refectionem, sitis levamen, cordis con-
versionem, justitiæ incrementum, con-
tra hostes protectionem, spirituales
consolationem, in adversis fortitudinem,
unctio-

unctionem gratiæ & lætitiæ, spiritûs ebrietatem, ac denique felicem ad patriam cœlestem, profectionem.

3. Ex quibus nullo negotio, concludemus ac deducemus tertium: nimirum nobis non terrenum lucellum; sed cœleste & spirituale, sed grande & æternum, quærendum, & pro fine primario spectandum esse: atque hoc sacrificium divinum, ex intimâ devotione, sincerâ intentione, ardenti charitate Deo omnipotenti esse immolandum, tanquam sacrificium, omnibus antiquis victimis & holocaustis infinitè præstantius: Tanquam sacrificium latreuticum, Eucharisticum, propitiatorium, & pacificum, eminentissimum & perfectissimum, quo Deum velut Monarcham supremum, ac vitæ mortisque Dominum colimus & honoramus: Angelos & Cœlites lætitiâ afficimus; proximos sive viventes, sive vitâ functos, ope & solatio recreamus, ac denique nosmetipsos, omnium virtutum, ac thesaurorum cœlestium abundantia locupletamus: ac simul comminationem Domini, olim in Lege veteri
iaten-

intentatam, & nobis quodammodo, si negligentibus existerimus, convenientem, evadimus & subterfugimus. Si quis mundus est [scilicet à peccato lethali] & in itinere non fuerit (scilicet aliter impeditus) & non fecerit phase; exterminabitur anima illa, de populo suo, quia sacrificium non obtulit Domino, in tempore suo. Numerorum c. 9. v. 13.

CANON VI.

Abstineant omnino ab Ebrietate, & à Conviviis, quoad fieri potest à Conviviis, imò & ab omni, quod redolere potest apud Laicos, maxime infirmos.

EXPOSITIO

Canon præsens Sacerdotes fœderi nostro innexos jubet 1. ab Ebrietate. 2. à Conviviis velut ejus causis. 3. à redolentibus, tanquam ejusdem effectibus, omnino abstinere; Quod ut facilius impetremus, ebrietatis fœditatem ac damna ob oculos ponemus, Pythagoram

ram

ram imitantes, qui à quopiam consul-
tus, quânam ratione ebrietatem devita-
ret; respondit; si quæ per ebrietatem
committis, animo voveris. Et Lacedæ-
monios; qui ut filiis temulentiaë horro-
rem incuterent, servum ebrium, ejusque
fœdos & ridiculos mores eorum obtuti-
bus objiciebant. Statuemus itaque ob
oculos; 1. Quàm magno dedecori &
damno ebrietas sit cuivis homini ratione
prædito. 2. Quàm longè majori cuili-
bet Christiano. 3. Quàm longè maximo
cuicunque Sacerdoti & Pastori anima-
rum; eo fine, ut detestandum hoc vi-
tium cane pejus & angue fugiamus.

C A P U T I.

INvaluère prò dolor! usque adeò in di-
versis Germaniæ nostræ Provinciis
crebra & diuturna convivium ac sympo-
sia, ut vix ullæ primitiæ Sacerdotum, Pa-
trocinia templorum, dedicationes Basili-
carum, Collationes beneficiorum, So-
lemnitates contractuum, absque illis
institui posse censeantur. In hisce verò

con-

conviviis (quorum luxus ferè ab Eccle-
 siasticis dignioribus & majoribus ad in-
 feriores magno cum abusu descendit)
 aliis atq; aliis ferculis & missibus mensæ
 onerantur ac instaurantur: aliis atq; aliis
 cælatis vitris ac poculis sanitatum hau-
 stus prælibantur & respondendo exhau-
 riuntur; Dumque hæc convivia & sym-
 posia in quinas, senasve horas, utinam
 non in seras quandoque noctes protra-
 huntur, Convivis ad æquales haustus se-
 se vel invitantibus, vel cogentibus; quis
 non videt, quæ ebrietatis vel scandali
 pericula Sacerdotem maneant? Inde e-
 nim non rarò accidit, (nisi veritatem dif-
 fiteri, nobisque blandiri velimus) ut
 Sacerdos characteris sui & dignitatis
 oblitus, potu incalescere, ratione tur-
 bari, & denique ebrietatis scelere sese
 obstringere incipiat, aut si eò res non de-
 veniat, certè in ebrietatis confiniis con-
 stitutus, in ea, quæ vini vis & excessus,
 occasio & libertas suggerit, scelera sese
 probrosè præcipitet, ob quæ totâ dein-
 ceptâ vitâ atque æternitate meritò erubef-
 cat, & confundatur. **Observandissimi**

G

Do-

Domini, si jam ejusmodi abusus & excessus in Clericis nostris, quod absit, accidant: quid hoc aliud est quàm diem manè cum Deo inchoare, & vespere eundem cum Diabolo claudere? manè in Ecclesia Sacerdotem Altissimi, à meridie in ganeâ Bacchi sacrificulum agere? manè calicem salutaris accipere & nomen Domini invocare; à meridie calicem ebrietatis exhaurire & nomen Domini blasphemare?

Quàm verò id homini ratione prædico, ne dicam Christiano, aut Sacerdoti probrosum, noxiùmque sit, quis verbis exprimat? Si enim verum est, ut est verissimum, Spiritus sancti per os Osee c. 4. 11. Prophetæ effatum: *Vinum & ebrietas auferunt cor*: id est, quemadmodum Theodoretus & Theophylactus exponit, meritum auferunt, rationem & judicium eripiunt, hominem vecordem atque dementem reddunt; Deinde vires atterunt, sanitatem lædunt, vitam decurtant, honorem atque existimationem imminuunt, proximo scandalum pariunt, corpus catarrhis, febribus,

bus, humoribus arthriticis, morbisque
 innumeris inficiunt; animam verò mul-
 tiplici scelerum & vitiorum colluviè
 conspurcant: quid iis ignominiosius,
 nocentiùsque in homine mentis com-
 pote repetiri potest? Quàm malè con-
 veniunt homo rationis compos & im-
 pos? homo & bellua? Refert unà cum
 Philone Antiquitas Noëmum vini in-
 ventorem, viti & vino ab eâ expresso,
 dulcorandi gratiâ miscuisse sanguinem
 animalium, Leonis, Agni, porci, & ur-
 si. Commentum id equidem est, sed per-
 quam ingeniosum, cum vini vim cor
 humanum auferendi & in bestiam quo-
 dammodo transformandi, præclare ob-
 oculos ponat; ostendatque, quomodo
 instar Nabuchodonosoris: *Cor ejus ab
 humano commutetur, & cor fera detur
 ei.* Danielis 4. 13. Ebrii enim crudeli-
 tate & audaciâ Leones sunt, pugnant,
 omniâque corporis & animæ pericula
 facile contemnunt. Simiæ sunt & Mo-
 riones, qui gestibus mimicis & moribus
 inconditis, omnibus deridiculo existunt:
 Agri sunt, qui ducuntur ad victimam,

ut Diabolo sacrificentur. Porci sunt, qui in vitiorum sordibus & voluptatum spurcarum cœno sese volutant. Denique sunt velut Ursi rapaces, qui famam alienam lacerant, & dum alios ad ebrietatem, aliave vitia inducunt vel cogunt, vitam iis spiritualem auferunt & crudeliter occidunt.

Ejusmodi ferinum intueri desideratis? terribile est, quod in sermonibus ad Fratres de eremo apud D. Augustinum sermone 33. legimus. *Ecce inquit hodie ebrietatem perpessus, præter alias turpitudines nefandas & horrendas, Patrem occidit, duas sorores vulneravit ad mortem. O magna Diaboli Dominatio! Patrem, quem post Deum revereri debebat, occidit: sorores, quas tenerrime diligere debebat, vulneravit ad mortem! O dolorosa ebrietas, omnium malorum mater, omnis luxuria soror, omnis superbia Pater!*

Verè, vinum & ebrietas auferunt cor-
 rationem turbant, eaque turbatâ, aut in
 turpitudinem & confusionem desinunt,
 aut gravissima vitæ, animæque pericula

in-

incautis accersunt. Exempla plura si cupitis, Sacrarum Literarum monumenta, & Sanctorum Patrum volumina inspiciate, S. Hieronymus Epist. 83. ad Oceanum scribit: *Noë ad unius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Lot per temulentiam nesciens libidine miscet incestum, & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Addite si placet alia. Samson vino madens, per Dalilam, hostibus traditur; Holoferni ebrio à Juditha caput refecatur: Balthasar Babyloniorum Monarcharum ultimus, temulentus manum scribentis aspicit, & eadem nocte à Cyro vitâ & regno spoliatur.*

An non igitur verissimè Propheta præmonet: *Vinum & ebrietas auferunt cor.* Id est, eripiunt rationem, pudorem, fortunas, vitam, famam, animam, salutem & omnia? præclare D. Chrysologus serm. 26. *Ebrietas cadis mater, patrens litium, furoris genitrix, magistræ petulantia: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum.* Si homo non est, quid

ergo! Leo, Simia, porcus & ursus, quin
& asinus & canis. Verè enim S. Chryso-
stomus Homil. 58. in Matth. ait: *Quan-
tò melior asinus ebrioso est; quantò canis
prestantior; omnes certè bestie cum bi-
bunt & comedunt, ultra quàm satis est
non sumunt, etiamsi mille homines coge-
rent.*

Videtur Reverendissimi, Admodum
Reverendi & Venerabiles Domini, ex
his, quàm fœda, quàm probrosa, quàm
noxia sit ebrietas, & quanto pere homi-
nem ratione præditum dedecet, ut ta-
ceamus hominem Christianum & Sacer-
dotem. Et tamen, quò, prò dolor! effre-
nis potandi rabies & libido homines nõ
abripit! quot mortalibus licet aliàs cor-
datis, cor non aufert? quot viros licet ali-
às prudentes non intoxicat, & veluti
Circe, Ulyssis socios, illecebris suis in
porcos, boves, & asinos transformat?
O labes humani generis! ô fœdissima
Germaniæ nostræ macula! *Verè Homo,
cùm in honore esset, non intellexit, com-
paratus est jumentis insipientibus, & simi-
lis factus est illis.* Psalm. 40.

II. Dis-

CAPUT II.

Discurremus modò ulteriùs: si ebrietas ut vidimus, tanto probro & detrimento est homini cuivis, ratione à supremo Numine dotata; quantæ ignominia, damnoque erit homini Christiano, per Baptismum Deo consecrato, & Diabolo, pompisque ejus & vitiis abrenuntianti, ac postmodum pactum cum Deo initum sacrilegè violanti? *Apparuit, ait Apostolus ad Titum 2. 11. gratia Dei Salvatoris nostri, omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria sobriè (erga nos) justè [erga proximum] & piè [erga Deum] vivamus in hoc seculo; expectantes beatam spem [id est speratam beatitudinem] & adventum gloriae magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.*

Quomodo autem expectabimus æternam beatitudinem, qui impietatem & sæcularia desideria non abnegamus; sed vitam transfigimus in *comessationibus*

Et ebrietatibus, de quibus Apostolus
Qui talia agunt, regnum Dei non conse-
quentur. ad Gal. 4. 21.

Quomodo sperabimus lætum adven-
tum gloriæ magni Dei, qui nec *sobriè*,
sed cum Epulone splendidè: nec *justè*,
sed Ecclesiis & pauperibus debita abli-
guriendo, injuriosè; nec *piè*, sed somno,
crapulâque prævalente, impiè; vitam
nostram instituimus? & templa, sacrifi-
cia, divinâque officia, aut acediosè ne-
gligimus, aut tepidè, oscitantèrque per-
solvimus.

Quomodo præstolabimur adventum
Salvatoris nostri JESU Christi, ad judi-
candum vivos & mortuos comparituri;
si, quod non rarò accidit, vino somno-
que sepulti, catarrho apoplectico suffo-
cati ad tribunal ejus rapiamur, pro me-
rito condemnemur, & à tortoribus in-
fernalibus in gehennam præcipitemur
æternùm cruciandi?

Quomodo denique ad felicem æter-
nitatem in regno gloriæ & lætitiæ cele-
stis, consequendam aspirabimus, quibus
toties in sacris paginis Spiritus sanctus
hor-

horrendum *ve* intonat, velut notam infelicitatis perpetuæ & signum damnationis æternæ? Legamus obsecro, sæpius & ruminemus divina oracula. Proverb. 23. *Cui ve, cui rixa, cui fovea, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino & student calicibus epotandis? Et Isaia c. 5. 11. Ve qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino estuetis; Sequitur pœna v. 24. Propterea dilatavitis infernus animam suam absque termino. Et idem Propheta l. c. v. 22. Ve qui potentes estis ad bibendum vinum, & vini fortes ad miscendam ebrietatem! propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis, & calor flamma exurit: sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum, quasi pulvis ascendet.*

Reverendissimi Admodum Reverendi & Venerabiles Domini, cui ad toties repetitum *Ve*, aures ambæ non tinniant? quis, si fortè excessum in se deprehendat, non illicò decernat in posterum, juxta leges Christianas, *sobriè, justè, pièq;* vive-

re; commestationes & ebrietates, convivia & consortia potatorum, omnesque temulentiae occasiones sedulo evitare, ut *adventum gloriae magni Dei & vultum Salvatoris nostri Jesu Christi* laetus aliquando subeat, & *Vae* damnationis aeternae feliciter evadat?

C A P U T III.

A Scendamus nunc in discursu nostro altiùs: Quod si ebrietas tanto est dedecori & damno homini cuilibet Christiano; quanto probro & detrimento erit, Christianis Sacerdotibus, Parochis & Prælati? *Qui* ut ait S. Chrysoft. l. 2. de Sacerd. *longè omnibus præstant; quique virtute animi tantum reliquos excellere debent, quantum corporis magnitudine Saul Hebraorum gentes excelluit, seu potiùs multò etiam magis.* Doctor gentium 1. Tim. 3. vult *Episcopum* [sub quo tanquam Sacerdote majore minores complectitur] *irreprehensibilem esse, sobrium non violentum. Diaconos similiter* [quibus & Clericos inferiores

res comprehendit] *non multo vino deditos*. Non dixit, ait Theophilactus, non ebrios, non temulentos; hoc enim omnino indignum est; verum *non multo vino deditos*, non multum potantes: hoc enim animæ, mentisque vim & energiam, licet non eripiat, luxat tamen & debilitat, maloque exemplo dignitatem clericalem dedecorat, infamat ac deturpat. Apostoli sententiæ subscribunt Canones Apostolici [citati à D. Thoma 2. 2. q. 150.] circa hoc brutale vitium laudabiliter rigidi: Canon 42 sic decernit: *Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, alea aut ebrietati deserviens, aut desinat, aut deponatur; Subdiaconus autem Lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communionem privetur.* Et merito sanè: ut enim S. Petrus Chrysologus serm. 26. asserit: Ebrietas in aliis crimen est, in Sacerdote sacrilegium.

Verum ut clariùs hujus vitii turpitudinem intueamur, Sacerdotis dignitatem, cum Ebrietatis fœditate, componamus: Contraria enim juxta se posita magis elucescunt. Quid est obsecro Sacer-

G 6 . . . dos?

dos? quid Sacerdotium? quid verò ebrius & ebrietas? Sacerdos est Christus seu Unctus Domini, vas consecratum Numini, Templum Spiritus sancti; *Genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta* 1. Pet. 2. est Sanctus: nam *Sancti erunt Deo suo* Levit. 21. c. Quid verò ebrius? *mancipium sui abdominis, speleum Dæmonis, cloaca fœditatis.* Ebrietas enim, S. Basilio teste Homil. de ebriet. *Est malitia mater, virtutis inimica, quæ fortitudinem enervat, temperantiam opprimit, justitiam ignorat, prudentiam extinguit: verbo omnis sanctimoniam venenum est, & pestis virtutum.*

Quid est Sacerdos? Puritatis exemplum, Castitatis speculum, *Angelus Domini exercituum* Malachiæ 2. 7. Quid autem Ebrius? Audite S. Chrysostrum Hom. 5. ad Pop. *Demon est voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium.* Nam ubi *Ebrietas, ibi Diabolus, ibi turpia verba; ubi saturitas, illic Demones choreas agunt.*

Quid

Quid est Sacerdos ? quid Pastor animarum ? *Sal terra est* , ut mortalium mentes , vitæ æternæ sapore condiat : Lux mundi est ; *ut omnibus , qui in Domo Ecclesie sunt , luceat . Civitas est supra montem posita* , ut tanquam vitæ exemplum Laicis , & asylum omnibus ad se confugientibus pateat .

Quid verò Ebrius , nisi fœdum sterquilinum , chaos tenebrarum , author scandalorum , prostibulum vitiorum , lusus Dæmonum ? Eleganter scribit Petrus Abbas Cellensis , vir eximiè sanctus l. 3. c. 10. *Vitium ignobile , & inter cetera vitia ignobilissimum est Ebrietas : ubi enim sensus ebrii : ubi reverentia ? ubi dignitas ? immemor est præteriti , futuri ignarus , presentis nescius . Discretio confunditur , ratio hebetatur , sensus ligantur , mens ipsa sepelitur , pes errat , labitur lingua , trepidat manus , labia tremunt , caligat visus , auditus surdescit . Ac denique sic concludit . O bone vir ! nonne tibi videntur hæc principia mortis , fomenta ignis æterni , esca supplicii , illecebra damnationis ? Sic est Reverendissimi Admodum*

Reverendi & venerabiles Domini, certissimum enim effatum est Apostoli: *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* 1. Corinth. 6. 10.

Conferte nunc, si placet, ulteriùs Sacerdotis virtutes ac vitia Ebrietatis: & longè amplius ab hac labe teterrima abhorrebitis. Quid enim est Sacerdos, nisi sacra dans, aut sacra dos, tot dotibus, quot virtutibus decoratus?

Prima dos tua sacra, O Sacerdos! est *Angelica castitas*; cum toties ex officio immoles & comedas *Agnum immaculatum*, & bibas *vinum germinans virgines*. Zacch. 9. 17. Hæc dos, hæc virtus NB. fundamentum est omnium aliarum, sine qua, mihi crede, frustra pietatem, frustra devotionem; frustra timorem aut amorem Domini, frustra denique universam perfectionem exspectas. Sed quæ eam convivii, symposiis, vinoque multo deditus aut obtinebis aut conservabis? Cum audias Apostolum intonantem: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* ad Ephes. 5. 18. Et S. Ambrosium lib. 1. de pœnitentia c. 13. *Pascitur libido*

conviviis, nutritur deliciis, vino accen-
ditur, ebrietate flammatur. Si tam effera
sunt passiones, ut ratio vigil violentiam
adhibere debeat, ne dominantur; quid ra-
tio turbata, & nimio potu sopita faciet?
ubi caro ebriatur, ait idem Antistes c. 14.
mens titubat, animus vacillat, cor fluctu-
at, ac facile mergitur in profundum. Ni-
mis sunt cognata nomina Vinum & Ve-
nus; nec absque re vites dicuntur luxu-
riare, nec sine causa vinum lac Veneris
nuncupatur: inter vitra & vitia, nec no-
mina multum discrepant; & propagines
vitium, facile progenerant vitium.

Alter a Dos tua & virtus, O Sacerdos!
est *Honestas eximia*, singularis modestia,
verecundia & gratus omnium actionum
nitor. Hæc virtus est veluti vestis quæ-
dam urbana sacerdotalis animæ, à qua
suus in vultu decor; in genis rubor, in o-
culis continentia, in gestu, motuque to-
tius corporis amœna quædam & amabi-
lis compositio, & totius hominis con-
formatio, rationi virtutique consona ef-
floreſcit. At an non omnis hic virtutum
chorus cum omni suo apparatu ab ebri-
rate

rate

tate dissipatur? An non succedit inurbanitas, petulantia, impudentia, & immodesta quædam & ridicula scurrilitas, quæ in oculis, in verbis, & vultu, in gestu, motuque totius corporis legitur? *Violentia scurrarum est & comessatorum, venterque mero astuans, citò despumat in libidines,* ait S. Hieronymus Epist. 83. ad Oceanum & S. Chrysológus serm. 26. *Ebrietas petulantia magistra, illecebra honestatis, pudoris injuria. Hanc nullus noverit Christianus, ne auditu quidem Sacerdos attingat, ne qui est forma virtutum, vitiorum inde fiat & inveniatur exemplum.*

Tertia Sacerdotis & animarum Pastoris Dos est *pietas in Deum*, orationis studium, & divinum servitium; sunt enim Clerici, id est, fors & hæreditas Domini, Vicarii & Ministri Christi, ejus cultui penitus mancipati, à populo segregati, ut dum hic mundi curis & laboribus distinetur, illi pro eo preces fundant, sacrificia offerant, Deumque psalmis & hymnis laudent ac glorificent.

Quo autem pacto pietati & orationi vacabit Ecclesiasticus, commessationi &

erapulæ deditus? Plenus venter non orat
 libenter, teste experienciâ. Quomodo in
 cellam vinariam contemplationis & me-
 ditationis cœlestis, spiritu inducetur
 à Rege cœlorum, ac Divino animarum
 sponso, qui musto plenus, mentis impos,
 aut ratione turbatus, nil nisi scyphos,
 cyathos & pocula spirat? Quomodo e-
 ruclabit suspiriis, motibus anagogicis,
 ac precibus ignitis verbum bonum, è
 pectore amoris divini æstu bulliente, qui
 potu sese ingurgitans aut vini aut crema-
 ti, aut cerevisiæ feces exhalat, & mephi-
 tim teterrimam eructat? Quomodo lin-
 gua illa Majestatem divinam laudabit
 psalmis, hymnis & cantibus spirituali-
 bus, quæ humore immodico tumens &
 fluctuans, in clamores inconditos, ver-
 ba absona & cantica scurrilia laxatur?

Dos quarta Sacerdotis & in primis a-
 nimarum Rectoris est *honor, reverentia*
 & *estimatio populi*. At quæ potest esse re-
 verentia populi erga Sacerdotem aut
 Pastorem potatorem, manè vino crema-
 to, liquoreve distillato succensum, à me-
 ridie incendium manè excitatum, vino
 aut

aut cerevisiâ restinguentem? Quis honor Sacerdoti aut Parocho, qui cernitur à plebe instar Epibatarum, militumve gregariorum tabaci fistulam ore gestare, fauces hausto, emissoque fumo in caminum fumantem convertere? ac musæum suum sacratoribus studiis destinatum, in graveolens stipendiariorum gargulium commutare? tot nobiles temporis pretiosissimi horas, salutis æternæ negotiis consecrandas, aut otiosè terere, aut quod deterius est, fumando, bibendo, spuendo & [sit venia verbo] vomendo malè collocare, alternatim fauces calido tabaci fumo inflammare, ut bibat, & mox ignem infuso liquore restinguere, ut denuò vaporando accendat, aut postmodum mephiti graveolentis animæ, sanis & infirmis non solum creet molestiam, verùm etiam mali exempli fœtorem afflet. Quis denique respectus, quæ æstimatio, veneratio & auctoritas Pastori animarum, vel in sacro tribunali coram pœnitentibus vel in aëdibus aut cubiculis coram infirmis, gravem ejusmodi odorem diffundere, aut vultu

vultu ob potum rubenti, carbunculisq;
 confito ambonem conscendere, suosque
 auditores verbo, non exemplo, ad leges
 temperantiæ exhortari? *Confusio certe &*
ignominia est Jesum Christum crucifi-
xum, pauperem & esurientem fartis præ-
dicare corporibus & jejuniorum doctri-
nam rubentes buccas, tumentiaque ora
proferre. Cap. Ecclesiæ principes. distin.
 35. Et quamvis ejusmodi scandalum ut-
 cunque tegatur in iis, qui neque Chri-
 stum, neque jejunium prædicant, intem-
 perantiæ tamen & temulentia vitium
 adeo ex seipso non modò Sacerdoti in-
 decorum & virtutibus quibuscunque
 noxium & adversum est; ut Sacerdotibus
 & Clericis omnibus præcipuo studio
 cavendum esse censeatur. *Væ, væ tibi Cle-*
rice, exclamat S. Bernardus mors in olla,
mors in deliciis est non modò, quia secus
introitum delectationis posita esse cognos-
citur, sed ob id maxime, quia populi con-
stat esse peccata quæ comedis. Væ profe-
 ctò Sacerdoti, qui ut loquitur Oseas c. 4.
 8. peccata populi, id est, à fidelibus ob-
 lata pro peccatis, comedit, si ea comef-
 sando

fando & potitando abligurit, atque ita in novam peccati materiam convertit, dum interim oves ejus non pauca quibus, succurrere oportebat, penuriam, morbo, fame, sitique conficiuntur. O dedecus indignum! O abominatio non ferenda!

Pulchrè S. Ambrosius scribit ad Irenæum ep. 6. *Vides nihil in Sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum multitudine? Sobriam esse turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitatis sibi vindicat dignitas Sacerdotis. Quomodo enim observari potest à populo qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? Si nihil in te aspiciat quod ultra se inveniat? Si quæ in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur, offendat! Supergrediamur igitur plebejas opiniones & strata quedam gregalis conversationis, & quaramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium. Sit nostra via angustior, virtus exuberantior, trames pressior, fides sublimior, callis arctior, vigor mentis*

mentis exundans, semita recta sit egressus
 ad superiora. Non ad inferiora, non ad
 esum, pastum, potum, aliaque cum bru-
 tis & vulgo ac fæce populi communia.
 Audimus non rarò quosdam objicien-
 tes, & ebrietates atque excessus intempe-
 rantia suæ hoc specioso vel honestatis
 vel necessitatis palliolo obvelantes; nolo
 esse singularis, nequeo haustum dene-
 gare amicorum precibus, neque resiste-
 re Magnatum imperiis. Verùm his res-
 pondet S. Augustinus Serm. 232. De
 Ebrietate, ubi sic loquitur: *Solent ebriof*
ita se excusare ut dicant: Persona potens
me coëgit ut amplius bibam & in convi-
vio Regis non potui aliter facere. Ad ex-
cusandas excusationes in peccatis ista
pretendimus, & quod implere nolumus,
non potuisse nos dicimus. Etiam si ad hoc
veniretur ut diceretur tibi, aut bibas aut
mories, melius erat ut caro tua sobria
occideretur, quàm per ebrietatem anima
moreretur. Sed excusatio ista falsi objici-
tur: ipsi enim reges & quicumque alii po-
tentes, si te viderent desinisse ut eis non
acquiescas, pro timore DEI non inebria-

ri,

ri, si tibi sub hora videantur irasci, postea verò te in grandi admiratione suscipiunt, dicentes; *Quantis cum minis & terroribus fatigavimus & tamen nunquam eum à sobrietate separare potuimus?* Denique respondet S. Doctor: *Ille qui ebrietati resistit, si cum Dei adjutorio, perseveraverit & pro ipsa aliquas ille pertulerit tribulationes, omnia ei Deus ad martyrii gloriam reputabit.*

Quæ cum ita sint, Domini Confratres finiamus cum seria admonitione Principis Apostolorum quam indies [utinam non obiter] legimus; *Fratres sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circumcui, querens quem devoret, cui resistite fortes in fide, & attendite ne ebrietatis labes adeò indigna homine ratione prædito, vos unquam inficiat: hæc enim ut vidimus homini cor aufert, rationem evertit, mentem eripit, morbos accersit, vires enervat, vitam abbreviat, famam obfuscat, animam & salutem in præsens discrimen adducit ac homines in bestias, feràsque quodammodo transformat.*

Ut

Ut enim S. Chrystomus ait homil. 38. in Matt. *Ebrietas mater & origo omnium vitiorum Sues ex hominibus facit*, quin & Leones, Simias, Ursos, Boves & Canes, ut vidimus. Igitur Fratres *sobrii estote & vigilate*, ne hæc pestis, veluti Noëmum, Lothum, Samsonem, Balthasarem, Holofernem, Epulonem, aliósq; innumeros aliquando vos inficiat, & incautos dementet, opprimat atque interficiat.

Sobrii estote & vigilate. Attendite ut *sobriè, justè & piè* vivatis in hoc sæculo; ut impietatem & sæcularia desideria abnegetis, ut diu noctuque exspectetis adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, ut cum pulsaverit, vosque ad iudicium, ad reddendas strictissimæ vitæ transactæ, necnon accepti & expensi rationes citaverit, non somno vinoque sepultos inveniat & horrendum damnationis æternæ *væ*, toties ebriosis bibonibus ac lurconibus intentatum, in vos contorqueat. Sed sobrios, vigilantes & paratos deprehendat, atq; cum servis fidelibus & Virginibus pruden-

den-

dentibus ad perenne convivium cœli ad
cœnam nuptiarum Agni lætantes intro-
ducat.

Sobrii estote & vigilate, quotquot
Sacerdotali, parochiali, aliâve majore
dignitate fulgetis; ne unquam scœda hæc
Ebrietas macula sit in gloria vestra: Vi-
distis enim tantam esse repugnantiam
inter Sacerdotalem dignitatem & ebrie-
tatem, quanta est inter ignem & aquam,
lucem & tenebras, diem & noctem: qua
enim conventio Christi & Belial, Ange-
li & Cacodæmonis, Salis & corruptio-
nis; Sapientis & stulti, Sancti & Impii,
Electi & reprobi, Templi Spiritus Sancti
& speluncæ Diaboli. Vidistis quàm ma-
lè conveniant, dotes & virtutes Sacerdo-
tales & vitia labesque ebrietatis; neque
enim castitas & luxuria, verecundia &
impudentia, modestia & petulantia, ho-
nestas & scurrilitas, vilitas & authoritas,
exemplum bonum & scandalum in una
sede aut corde morantur.

Sobrii ergo estote & vigilate, convi-
via, symposia, consortia potatorum, pro
viribus declinate, quidquid inflammat,
quid-

quidquid redolet, quidquid cerebrum
 turbat, fugite; Verbo & exemplo sobrie-
 tatem & temperantiam docete; ebrieta-
 tem, veluti pestem mortiferam, & vene-
 num lethale devitate. Videte ne quis vos
 seducat ullo modo; ad æquales haustus
 vos cogi nunquam finite; excessus pal-
 liola & excusationes nunquam prætexi-
 te; gulæ momentaneam delectationem
 voluptati æternæ semper postponite;
*Amaritudo anime vinum multum pota-
 tum* Eccl. 31. Quare ut cum Salomonis
 doctrina finiamus; *Ne intuearis vinum
 quando flavescit, cum splenduerit in vitro
 color ejus ingreditur blandè, sed in no-
 vissimo mordebit ut coluber, & sicut regu-
 lus venena diffundet.* Prov. 33.

CANON VII.

DEdant se studio & in primis Lectio-
 ni Librorum spiritualium; è quibus
 Spiritum Ecclesiasticum, omnibus neces-
 sarium, & Spiritum vera devotionis,
 non tam hauriant, quàm augeant, ne
 plenitudine Spiritus repleantur.

H EX-

EXPOSITIO

QUod Gentium Doctor Timotheo
 Ephesino Episcopo, ac Martyri
 fortissimo præscribit; *Attende lectioni.*
 1. Tim. 4. 13. Idem Confraternitatis
 nostræ Canon præsens suadet (utinam
 persuadeat!) omnibus nobis. *Dedant se*
inquit studio, scilicet scientiarum ac re-
 rum statui ac officio suo necessariorum,
Et in primis lectioni librorum spirituali-
um. Quorumnam verò? In his primum
 sibi locum jure vendicat Sacer Codex,
 quem D. Ambrosius l. 3. De fide c. 7.
Librum sacerdotalem: S. Dionysius de
 Eccles. Hierarchiâ c. 1. *Sacerdotii nostri*
substantiam nuncupat. Cujus lectionem
 ita commendat S. Chrysostomus homil.
 2. De Providentia; ut dicere non vereat-
 tur: *Omne vite tempus est breve: quod si*
vel longissimum esset, consumendum foret
in scientia sanctarum scripturarum:
 Quæ legendo, ruminando, & Interpre-
 tum commentaria pervolvendo, cum
 gustu percipitur *Alterum* locum occu-
 pant

pant SS. Patrum & Ecclesiæ Doctorum præstantissima ac spiritu Dei plenissima monumenta. *Tertium* postulant illustrium Ascetarum de virtute, de cognitione & amore Dei, ac de perfectione omnigenâ, piissimè, utilissimeque exarata volumina. *Quartum* heroicis virtutum ac sui victoriarum exemplis referatissima Sanctorum vitæ; historiæ & acta.

Ut igitur libentiùs alacriùs, atque constantiùs Lectiõni sacræ attendamus, quanta ex quaternis hisce fontibus, veluti totidem Paradisi fluviis jucunditas & utilitas hauriatur; quantaque ejusdem necessitas sit, ad spiritum Ecclesiasticum ac devotionis imbibendum, augendum & conservandum, Canonis præsentis dilucidatione ob oculos ponemus.

C A P U T I.

Lectiõnis spiritualis necessitas.

Quanta in primis sacræ lectiõnis necessitas Sacerdoti & Animarum Pastori incumbat, ad spiritum suum fo-

vendum muniâque sacerdotalia debite
 obeundum, vel ex eo liquet, Quod S.
 Chrysoftomus homil. 29. In Genesin,
 S. Augustinus serm. 38. Ad Fratres. S.
 Ephrem serm. 7. Aliique Patres lectio-
 nem spiritualem, *Anima cibum* appella-
 re non dubitarint; & non magis sine hac
 escâ spirituali animum, quam sine ali-
 mento corpus, subsistere posse asserue-
 rint. Nec immeritò sanè: si enim necesse
 est Sacerdotem & animarum Curato-
 rem identidem orationi vacare, *secun-*
dum illud Christi: Oportet semper orare.
 Lucæ 18. Lectio orationis soror est. Si
 necesse est Ecclesiasticum psalmodia
 cum intellectu, & sapientiæ gustu in-
 tendere; juxta illud Regii Vatis *Psal-
 lite Deo nostro, psallite sapienter.* Psal. 46. 8.
 Lectio intelligentiæ & sapientiæ lux est.
 Si necesse est Dei servum cœlestium me-
 ditatione & contemplatione animum
 pascere; ut innuit Psalmus 1. 2. *In lege
 ejus meditabitur die ac nocte.* Lectio me-
 ditationis Comes & fida adjutrix est. Si
 necesse est Clericum spiritu Ecclesiasti-
 co & veræ devotionis imbui; ut Filius
 Dei

Dei nominetur & sit ; juxta illud : *Quicumque spiritu Dei aguntur , ii sunt Filii Dei*, Rom. 8. 14. Lectio sacra hujus spiritus follis est & instrumentum. Si necesse est Dei Ministrum , cœcam carnis & mundi prudentiam , deponere , quæ desideria & studia , otia & negotia , ad carnis commoda , ad honores & vanam sæculi felicitatem , plerumque contra Dei voluntatem , solet convertere. Lectio oculus , calcar , & stimulus est. Denique si necesse est Sacerdotem Domini & seipsum perficere , & alios in salutis ac perfectionis semitâ dirigere ; Lectio sacra efficax medium est. Hæc enim velut cibus electus animam nutrit & corroborat ; hæc vires spiritus fractas instaurat : hæc adversus mundi , Carnis , ac Dæmonis insultus præmunit ; hæc orationem , meditationem , Psalmodyam , devotionem , & sapientiam promovet , aliosque id genus fructus longè præstantissimos ac saluberrimos in anima producit ; ita ut , S. Athanasio teste , *Absque lectione , neminem ad Deum intentum videas*. Sed potius in perfectionis curriculo deficere

ac retrocedere comperias. Ut itaque hos
adeò præcellentes fructus carpas, *Atten-*
de lectioni.

CAPUT II.

Lectionis sacra jucunditas.

QUanta deinde è lectione spirituali
suavitas & jucunditas scaturiat ;
novè re illi, qui gustu, palatòque defor-
cato id re ipsâ comprobârunt. *Quam*
dulcia faucibus meis eloquia tua : excla-
mat Propheta regius. Psal. 118. *Super*
mel ori meo ! Sunt in Libris illis, ait S.
Augustinus, *sancta delicia, sunt gaudia*
spiritualia ex divinis eloquiis scrutatis
& investigatis, ex dulcedine inventionis,
quam præcessit labor inquisitionis. Ori-
genes homil. 7. In Exodum, Lectionem
sacram cum manna comparat, quo ni-
hil dulcius, nihil ad omnis saporis sua-
vitatem aptius; reddit enim hoc manna
in ore tuo saporem, quemcunque vo-
lueris. S. Evangelista Joannes Librum
ab Angelo porrectum devorare jussus,
Apo-

Apoccl. c. 10. Eundem devoravit, id est legit, ruminavit, expendit; *Et erat inquit, in ore meo tanquam mel dulce*, ob revelationes, & arcana in eo, Dei digito exarata. Quid peregrino dulcius? quid lectu jucundius literis à parentibus, ab amicis & charis è patriâ submissis? *Libri divini* [aliique de cœlestibus & æternis tractantes] *quasi literæ de patriâ nostrâ sunt*, ait S. Augustinus serm. 56. ad Fratres. Quis igitur in hoc exilio constitutus, hæc cœlestes epistolas, hæc adeò grata è patriâ cœlesti nuncia, non cum gaudio & animi voluptate excipiat, letet, atque identidem volvat & revolvat? Ut animum recreet, atque inter hosce amœnissimæ voluptatis, & plûsqvam Alcinoi hortos inambulans jucundissimo cœlestium fructuum, aspectu & gustu perfruatur? Et sanè uti in paradiso, inter vernantes arborum, florumque surculos, aut rutilantes malorum facies prætereuntem, vel odore saltem & colore refici; utque in sole, licet animi causâ, deambulantem clarescere tamen & rubedine imbui videmus;

ita divinas literas, librosque spiritu ple-
nos assidue legentium ac discentium
mentes mirifice recreari, sensus, consilia,
vota, moresque velut quodam divinita-
tis colore tingi, sanctisque affectibus ac-
cendi necesse est: Ut expertus est S. Ca-
rolus Borromæus, sacras literas tan-
quam Dei oracula, non nisi nudo capite
& flexo poplite legere solitus; ingenti
animi sui solatio.

Quare si delicias hasce spiritus degu-
stare aves, *Attende lectioni*, & ex eâ gu-
stum & fructum cape. *Si ad lectionem*
accedas, monet S. Bernardus in speculo,
non tam queras scientiam, quam Sapo-
rem & gustum voluntatis: nam sola in-
tellectus cognitio arida est; nisi voluntati
applicetur & cognitione affectus foveatur,
& mentis devotio conservetur.

CAPUT III.

Pia Lectionis utilitas.

Quanta denique è Librorum sancto-
rum lectione utilitas promanet,
vel

vel ipsa volumina divina & SS. Patrum monumenta luculentè contestantur. Si in triplici perfectionis viâ solidè ac constanter progredi cupias, quod haud dubiè summæ est utilitatis, audi S. Paulum 2. Tim. 3. 16. Ita scribentem : *Omnia scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum ea omnia, quæ ad hunc spiritûs profectum sunt necessaria: si enim in viâ primâ animum à peccatis ac vitiis emaculare desideres: utilis est ad arguendum, ad corripiendum.* In eâ velut *in speculo*, ut ait S. Gregorius l. 2. moral. c. 7. *quæ foeda, quæ pulchra sunt, conspicias.* In eâ velut *in officina apothecaria*, ut scribit S. Basilius. epist. 1. ad Gregorium Nazian, *omnibus animi morbis alexipharmaca reperies.* In eâ velut in turri Davidicâ, mille clypeos, mille armorum genera, omnibus difficultatibus, periculis, tentationibus, & erroribus propulsandis & jugulandis accommodatissima, invenies.

Si verò plusculum progressus, eam quam Ascetæ illuminativam dicunt, perfectionis viam intrâris : *Omnia scriptura*

H 5 *divi-*

*divinitus inspirata utilis est ad erudiendum in justitia; honestate, castitate, humilitate, patientiâ, fortitudine, magnanimitate, cæterisque virtutibus. Si quis, inquit S. Basilus l. c. Castitatis est cupidus, historiam Joseph assidue legat; & hauriet pudiciæ amorem & spiritum: si quis patientiam desiderat, legat gesta sancti Jobi; si quis fortitudinem cupit, legat acta Davidis; si quis mansuetudinem appetit, Moysen volvat & imitetur. *Lucerna pedibus meis, id est affectibus, verbum tuum, & lumen semitis meis; id est actionibus affectus consequentibus. Psalm. 118.**

Denique, si viam eminentiorem, quæ charitatis & unionis dicitur, decurrere cœperis, utilis est sacra lectio, ad eò provehendum; *ut homo Deus sit perfectus; Deo unitus, totusque divino amore succensus. Nunquid non verba mea quasi ignis? Jeremiæ c. 23. Ita sanè nam Ignisum eloquium tuum. Psalm. 118. Efficens cor ardens in nobis; ut exempla innumera comprobant.*

Quid magnum illum Antonium, juvenem

venem nobilem & opibus inclytum ,
 paupertatis evangelicæ & cœlestis in
 terrâ vitæ amore succendit; nisi Evange-
 lli lectio ? Quid Victorinum turgidum
 urbis Rhetorem à gentilitia superstitio-
 ne & fastu ad Christianam fidem & de-
 missionem inflexit , nisi Evangelica le-
 ctio? Quid Simonem Stylitem ilicò con-
 vertere potuit, eòque provehere, ut an-
 nos octoginta continuos in columnâ
 consisteret, ut per diem & pernox oratio-
 ni vacaret , penè sine cibo & somno vi-
 veret, ut portentum orbis, neque tam
 homo , quàm lapsus in carnem Angelus
 esse videretur ; nisi evangelica lectio ?
 Quid Augustinum hæreticum; non tan-
 tum Orthodoxis adjungere ; sed & è
 voluptatum cloacâ erutum ad conti-
 nentiam, castitatemque, non dico mari-
 talem, sed cœlibem omnino & intactam
 provehere; nisi paulina lectio? *Tolle lege,
 tolle lege.* Et quid legit? *Non in cubilibus
 & impudicitis, non in comessationibus &
 ebrietatibus ; sed induimini Dominum
 IESUM Christum ? Rom. 13. Legit, ex-
 arsit, & alium hominem, imò Christum
 H 6 induit.*

induit. Quid Joannem Columbanum Jesuatorum, seu Clericorum Apostolicorum Authorem repente immutatum, ad tantam sanctitatem evexit, nisi lectio vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ? Quid Ignatium, Serapionem, Servulum, Justinum & sexcentos alios, à mundo ad Christum, è limo vitiorum, ad perfectionis apicem sustulit, nisi Divinæ scripturæ, vitæ Christi, ac Sanctorum utilissima lectio? Quanta igitur est lectionis sacræ emphasis, quàm stupenda vis, quàm admirabilis energia, quæ tanta edidit conversionum prodigia?

Reverendissimi, Admodum Reverendi Domini, si tanta est, ut legimus, Divinorum voluminum, aliorumque librorum spiritualium lectionis necessitas jucunditas, atque utilitas, ad docendum, & recreandum, ad corripiendum & arguendum, ad erudiendum & inflammandum in omni perfectione & justitia; quis è nobis non indies aliquod temporis spatium tam sancto exercitio deputet? quis non etiam diutiùs, si per occupationes liceat, tam utili functioni

in-

intendat? Quis minùs necessaria negotiola non abjiciat, ut lectione sacrâ animum pascat, vitia superet, intellectum illuminet, voluntatem succendat, sæculi tristitiam depellat, veram secundum Deum lætitiâ obtineat, desideria cœlestia, aliosque saluberrimos in anima affectus & effectus experiatur?

C A P U T IV.

Præcipuus Læctionis fructus est Spiritus Ecclesiasticus ac Devotionis.

Altera Canonis pars binos læctionis spiritualis fructus, eòsque non infimos complectitur; scilicet spiritum Ecclesiasticum, & huic affinem spiritum Devotionis.

Hæc Devotio ex mente Doctõris Angelici est voluntas quædam promptè se tradendi iis, quæ pertinent ad Dei obsequium, quemadmodum Israelitæ obtulerunt mente promptissimâ atque devotissimâ primitias Domino. Exodi 35. Ita ut cum Davide dicere liceat; *paratum cor*

meum Deus paratum cor meum. Psalm. 56. Paratum ad amplectendum quidquid tibi placuerit : paratum ad repudiandum quidquid displicuerit : paratum ad offerendum, quidquid à me petieris : paratum ad tolerandum, quidquid mihi immiseris. Huic Devotioni, tanquam primariae, secundaria non raro jungitur, quam sensibilem vocitant, quæ velut emplastrum & lenimen est contra devotionis prioris impedimenta; mentemque, quamdiu durat, lætitiâ, solatio, ac tenerâ dulcedine replet; ita ut *cor & caro exultent in Deum vivum.* Psalm. 83. Utraque autem hæc devotio; uti ex oratione, ita & ex lectione hauritur : hæc fons est ex quo hoc irriguum superius & irriguum inferius, partis animæ superioris & inferioris scaturit : Hæc puteus altus est, ex quâ aqua illa viva extrahitur, quæ mundat & refrigerat, fœcundat & vivificat, ad omne Dei servitium; motum, impulsu & vitam, scilicet vividum veræ devotionis spiritum tribuens. *Verba quæ ego loquor spiritus & vita sunt.* Joan. 6.
Huic deinde Spiritui cognatus est
Spi

Spiritus Ecclesiasticus, ad statum hunc restrictus; quem ut clarius perspiciamus prænotandum est, Deum O. M. sicut olim Protoplasto Parenti nostro vitæ naturalis spiraculum inspiravit; ita hodie dum Fidelibus ad statum certum vocatis, spiritalis vitæ spiraculum communicare: & in primis Ecclesiastico cuivis, non avaritiæ, non ambitionis spiritu, non commoditatis propriæ, alióve sinistro intuitu; sed purâ servitii divini intentione statum hunc aggredienti, Spiritum Ecclesiasticum infundere: quo præsentem Dei spiritu movetur & regitur: quo absente, non Ecclesiasticus sed larva ejus; non Pastor sed idolum est; os enim habet & non loquitur; oculos habet & non videt; pedes habet & non graditur; utpote vitâ & spiritu Ecclesiastico destitutus.

Quare divina Providentia & Bonitas Ecclesiæ suæ ac membrorum ejus præcipuè eorum, quos posuit regere Ecclesiam Dei, curam gerens, eosdem hoc spiritu imbuat, idoneos novi Testamenti Ministros efficiens; non secus atque olim,
 ele-

electis septuaginta regiminis Coadju-
 ribus, Moyſi promiſit: *Aufferam de ſpiri-
 tu tuo tradámque eis, ut ſuſtentent tecum
 onus populi.* Num. 11. Ita inquam ho-
 diedum Deus, de ſpiritu ſuo, ac de ſpiri-
 tu Chriſti aufferit, & cujuſque capacitati
 ac muneri attemperans in omnes diſtri-
 buit, ac pro beneplacito ſuo dividit. *Di-
 viſiones gratiarum ſunt,* ait Apoſtolus 1.
 Cor. 11. Uti & adminiſtrationum & o-
 perationum in Eccleſiâ Dei. *Alii datur
 ſermo ſapientie, alii ſcientie, alteri fides.
 Hac autem omnia operatur unus atque
 idem ſpiritus, dividens ſingulis prout
 vult.*

Hac ratione voluit Apoſtolis eorúm-
 que Succelloribus conferre ſpiritus Apoſ-
 tolicum; ſeu ſpiritus Eliæ duplicem,
 ſcilicet dilectionis Dei & proximi. Ec-
 cleſiæ verò Doctoribus, ſpiritus Sapi-
 entie & Intellectûs; Martyribus ſpiri-
 tum fortitudinis, ordinum Fundatori-
 bus, eorumque aſſeclis ſpiritus multi-
 formem; his quidem ſpiritus auſterita-
 tis & pœnitentiæ, illis autem ſpiritus
 ſolitudinis & ſilentii; iſtis verò ſpiritus
 pro-

propagandæ gloriæ divinæ & salutis animarum. Clericis denique spiritum clericalem seu Ecclesiasticum, quo animati munera divina rite obirent, ac vitam, moresque clero dignos præferrent.

Videtur ex his, ut opinor, *DD. Confratres*, quis, qualisve sit spiritus Ecclesiasticus, tanto pere vobis necessarius, Quid enim est aliud, nisi participatio copiosa Spiritus Christi, quâ Persona Ecclesiastica animatur; & veluti navis, expansis velis, à vento suaviter & efficaciter propellitur; ut functiones Ecclesiasticas, muniaque omnia ad statum clericalem, sacerdotalem, aut pastorem pertinentia, cum aptitudine & habilitate, cum promptitudine & alacritate cum fortitudine & constantiâ peragat? O Spiritus verè nobilis! O Spiritus vehemens & excellens! Utinam omnium Ecclesiasticorum animos intimè penetrares, ac potenter impelleres!

Ingredimini *DD. Confratres*, sinum mentis vestræ & perspicite quo spiritu regamini; an spiritu Christi, an mundi;

an

an Ecclesiastico, an politico. Si quispiam
 reperiatur in vobis, quod minimè spera-
 mus, qui nec habeat, nec habere curet
 aptitudinem & habitudinem ad debite
 peragenda, quæ sunt Ecclesiastici mune-
 ris; sed è contrà implicetur negotiis sæ-
 cularibus, distendatur curis mundanis,
 involvatur litibus & controversiis; dele-
 ctetur conversationibus vanis, & peri-
 culosis; pascatur ludis, symposiis, vena-
 tionibus: hic profecto spiritum Christi
 non habet, nec est ejus. *Nemo enim mili-
 tans Deo implicat se negotiis secularibus*
 2. Tim. 2.

Deinde si quis divina peragat potius
 lucri spe, quàm Christi amore, si Templi
 Altarisve sibi commissi ornatum ac de-
 corem negligat, si in supellectili sacrâ, in
 pallis & mappis, in vestibus & ornamen-
 tis sordes toleret: si in sacrificiis & con-
 cionibus, in catechesibus & Sacramen-
 torum administrationibus, remissum se-
 se & perfunctorium exhibeat: is haud
 dubiè *spiritum Christi non habet nec est*
ejus: Nescit enim tarda molimina spiri-
 tûs sancti gratia: & *Maledictus qui facit*
 opus

*opus Dei negligenter. Jerem. c. 48. Neq;
infinite Dei Majestati serviendum ex tri-
stitiâ aut necessitate, hilarem enim dato-
rem diligit Deus.*

Denique qui in muneribus Ecclesia-
sticis minimæ difficultati cedit; qui labo-
res pro Christo refugit; qui consueta
pietatis officia levi de causâ intermittit
qui timoribus & respectibus humanis
facilè concutitur; qui veritatem aut vir-
tutem contra incredulos aut impios tue-
ri ac propugnare veretur; qui se Cleri-
cum & Christi Domini servum, habitu,
tonsurâ, moribus, aliisque exterioribus
notis profiteri erubescit; hic sanè spiri-
tum Christi non habet, nec est ejus. Nam
*qui me erubuerit & sermones meos, hunc
& Filius hominis erubescet, cum venerit
in majestate suâ. Lucæ 9.*

Hæc perpendens D. Chrysostomus,
rectè asseruit, Sacerdotalem ordinem
magnum & excelsum animum require-
re, ad innumera mundi retia, carnis
blandimenta, salutis pericula, & perfe-
ctionis obstacula, in tot occasionibus
propè inextricabilibus, fortiter perrum-
penda:

penda : Quoniam verò pauci (quod tamen de Sacerdotibus nostræ Confraternitatis minimè dictum velimüs] hæc, ut par est, aggrediuntur, hujus Sancti Doctoris iudicio; hinc ejusmodi terrore plenam profert sententiam: *Non temerè, inquit, loquor; sed ut affectus sum, sentio: non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multò plures, qui pereant*: Quamobrem verò ? Quia spiritu Ecclesiastico carent; quia officio suo debitè non funguntur; quia celsitudinem illam ac magnanimitatem Spiritûs sacerdotalis non obtinent, quo tam varios, & propè insuperabiles laqueos convellant, mundum calcent, carnem doment, Deum & animarum salutem unicè quærant, & pro Domo Dei murum sese fortiter opponant.

Domini Confratres : si quis è nobis, quod absit, hoc spiritu magnanimo & sublimi destitutum se deprehendat; an non meritò omnem diligentiam, conatum, industriam adhibeat, ut illo tandem potiatur? Unde verò generosum adeò & excelsum spiritum hauriet?

1. Oret: *Optavi*, ait Salomon & *datus est mihi sensus*, *invocavi* & *venit in me spiritus sapientia* Sap. 7. instet igitur, petat, quærat, pulset: & Pater cœlestis stabit Christi promissis, ac *dabit spiritum bonum petentibus se.*

2. Deserat negotia sæcularia, contemnat oblectamenta vana, fugiat confortia mundana; ac libens conversetur cum iis, in quibus spiritus Ecclesiasticus præclare refulget: verba movent, exempla trahunt: *Qui cum Sapientibus graditur, sapiens erit.* Proverb. 13. 20.

3. Denique librorum spiritualium ac præcipuè sacrarum scripturarum lectioni piè, attentèque vacet: hæc enim lectio ignorantiam rerum divinarum tollit, mentis cœcitatem dispellit, cordis oculos aperit, illustria Christi & famulorum ejus exempla proponit, mysteria divina pandit, intellectum illuminat, voluntatem accendit, & animum admirationem, fervorem, & perfectionem inflamat, ut exemplis luculentis supra comprobavimus.

Vacet autem quisque lectioni, quantum

tum

tum munus aut tempus finit: non enim ignoramus plurimos è vobis occupationum & negotiorum mole obrutos; ac proinde, à nemine horum exigimus, cum S. Ambrosio l. i. Offic. c. 20. *Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesiâ vacat lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? Nam illum alloquimur cùm oramus; illum audimus, cùm divina legimus oracula.* Nec requirimus ab eiusmodi occupato, quod à Celantiâ D. Hieronymus: *Sint semper divina scriptura in manibus tuis, & jugiter in mente volvantur.* Nec illud quod idem S. Doctor ab Eustochio Virgine postulat: *Tenenti codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta excipiat.* Sed hoc desideramus, hoc optamus, hoc petimus, ut cui plus temporis suppetit, plusculum huic sanctæ occupationi tribuat; cui verò minùs vacat, indies saltem, tempore opportuniore, vel matutino, vel vespertino vel meridiano mediam horam, aut si nec hoc, per tempus, liceat, solidum saltem horæ quadrante

tem

tem lectioni sacrae attribuat, ut fructus
praedictos, ex hac fecunda arbore de-
cerpat.

EPILOGUS.

QUæ cum ita sint *Domini Confratres*,
quid vobis agendum sit, conclu-
dite; atque ut efficacius concludatis, ha-
ctenus dicta uno velut intuitu recolite.
1. Vidistis lectionis sacrae necessitatem,
sine qua anima, velut corpus, sine cibo,
deficit; sine qua nec rite orationi ac psal-
modiae vacare; nec aeternorum medita-
tioni intendere; nec mundi carnisque
prudentiam superare, nec veram, coele-
stemque sapientiam assequi, nec tenta-
tionum insultus retundere, nec se, nec
alios ad perfectionis culmen provehere,
nec spiritum Ecclesiasticum ac Devotio-
nis, ut Sacerdotem decet, unquam obti-
nere licebit.

2. Spectastis quoque pia lectionis
jucunditatem & amoenitatem; qua tan-
quam mel animae palatum recreat, tan-
quam manna pascit & grata omnis sa-
poris

poris varietate oblectat. Hæc est in tribulatione refugium, in spe solatium, in iracundiâ frœnum, in dolore gaudium, in penuriâ subsidium. Hæc velut epistola de patriâ missa in hoc exilio mirificè afficit & erigit: hæc in ignorantix tenebris amœnâ scientiarum diversitate, velut Pharos illuminat: hæc mentes, morésque nostros, solis instar blando quodam divinitatis splendore tingit & colorat.

3. Expendistis etiam lectionis spiritualis utilitatem; quæ per triplicem perfectionis callem, incedentem Sacerdotem vehementer promovet; contra peccata & vitia, tanquam animæ morbos, locuples pharmacopolium aperit, & antidora efficacissima suggerit: affectuum pedibus lucernam, & actionum semitis facem præfert: omnium virtutum specula illustria proponit; velut ignis corda succendit, liquefacit, ac Deo unit: ad sanctorum imitandos triumphos animat; ne fracti laboribus, debilitatique fatiscamus.

4. Denique legistis & considerastis è
lectione

lectione sacrâ Spiritum Ecclesiasticum
 & spiritum veræ devotionis hauriri, au-
 geri, ac perfici: quo nos animante, ad o-
 mnes functiones sacerdotales & paro-
 chiales, velut naves, vento secundo pro-
 vehimur, ac demum beatitudinis æternæ
 portum feliciter ingredimur. Quo defi-
 ciente mens arida, oratio tepida, psalmo-
 dia distracta, munia sacerdotalia aut pa-
 storalia omnia, remissa, perfunctoria &
 manca subsequuntur: & homo velut
 navis, sine velis & ventis, sine remis &
 remigibus hæret periculis expositus; ac
 tandem tentationum procellis obrutus
 & circumactus in profundum devolvi-
 tur. Quod ne tibi accidat, ut cum S.
 Paulo finiamus quocum cœpimus:
Attende lectioni: & cum S. Hieronymo:
Unum illud tibi, praeque omnibus unum
prædicam, & repetens iterum, iterumq̄
monebo, ut animum tuum sacræ lectionis
studio occupes, nec in bona terra pectoris
tui, sementem lolii avenarumq̄, suscipi-
as: ne dormiente Patrefamilias, qui est
animus Deo semper adherens, inimicus
homo zizania superseminet.

CANON VIII.

OMnes & singuli praesertim Curati, studiosè conentur, non obiter scire; sed comprehendere & penetrare ea, quae tam ad sui, quàm aliorum directionem & instructionem pertinent.

EXPOSITIO

IN lege veteri Sacerdoti summo olim mandavit Dominus, Exodi 28. Ut in Rationali inter gemmas duodenas, toti dem Tribus Israëli exhibentes, *Urim* & *Tummim* ad pectus circumferret. Causa mandati hujus alia haud extitit, nisi ut sui jugiter admoneretur officii, oportere scilicet in pectore sacerdotali fulgere *Urim*, id est illuminationem & doctrinam; quâ populum in lege Domini erudiens, velut columna nubis per diem dirigeret: ac *Tummim*, id est, veritatem, integritatem & perfectionem; quâ eundem velut columnâ ignis per

no-

noctem illustrans , ad imitationem sui succenderet.

Idem omnino , quod à Sacerdote Legis antiquæ postulavit Dominus ; à Sacerdote Legis novæ ad illustriora munia destinato. exigit Christus , & à quolibet Confraternitatis nostræ membro Canon octavus ; *Urim* scilicet & *Tummim*, doctrinam & veritatem ; illuminationem & perfectionem in pectore gestandam ; quâ tum ad propriam directionem , tum ad instructionem alienam utantur. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam ; & veritatem requirent ex ore ejus : Angelus enim Domini Exercituum est. Malachia 2. 7.*

Exponemus proinde 1. Quænam in Sacerdote requiratur scientia. 2. Quæ ex ejus defectu detrimenta. 3. Quæ ex ea emolumenta proficiscantur : ut his probè perpensis , in eam vel acquirendam , vel augendam vel conservandam sedulò incumbamus , atque ita Canonis præsentis intentionem feliciter assequamur.

CAPUT I.

De Scientiis Sacerdotalibus.

Labia Sacerdotis custodient scientiam
Mal. 2.7.

Q Uemadmodum stomachus, ait Au-
 thor Imperfecti apud S. Chryso-
 stomum hom. 38. in Matth. cibum re-
 ceptum custodit, & coquit; ita & Sacer-
 dos haustam à Deo, è Scripturis Sacris,
 sermonis scientiam custodit; & rumi-
 nando, meditandóque excoquit, ut po-
 pulo universo subministret. *Labia enim*
Sacerdotis custodient scientiam. *Custodi-*
ent inquit S. Hieronymus, non intem-
 pestivè ac vanè protrudent; *custodient*,
 ut eam opportunè & congruè profe-
 rant, dando *Conservis Cibum in tempo-*
re suo, ut monet Redemptor noster,
 Matth. 24. 45. Ita, ut os Sacerdotis, sit
 arca quædam salutaris, unde quisque si-
 bi depromat necessaria, quæ ibi Deus ad
 communem cujusque utilitatem & in-
 structionem recondidit. Ut

Ut verò ea in tempore depromi queant, arca hæc multiplici scientiâ antè erit instruenda : ante omnes autem scientiam linguæ latinæ supponimus ; cuius ratio est , quod secundum Ecclesiæ Leges idiomate isto omnia ferè peragantur sacerdotalia munia ; Sacerdotique dedecori haud exiguo sit, nobilissimæ hujus linguæ defectus , aut ignorantia. Inter reliquas verò.

Prima est Scientia Divinarum Scripturarum, quæ reliquarum scientiarum sacrarum basis est; quamque Apostolus commendat Timotheo Discipulo suo 2. Tim. 3. 15. dum scribit : *Memor esto quia ab infantia sacras literas nosti, quæ Te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu.* In his summè splendet veritas & certitudo rerum, à Deo tanquam suprema & infallibili Veritate revelatarum, aut inspiratarum. Ad quas intelligendas primò diligens studium & Interpretum lectio requiretur : *Scrutamini Scripturas* Ioan. 5. 39. Deinde illustratio & inspiratio ejusdem Domini, qui illas dictavit: *Inspiratio Om-*

nipotentis dat intelligentiam Iob. 32. 8.
 Geminis illis hujus scientiæ mediis, si u-
 tamur; Spiritus divinus intellectum dat,
 sensum illum assequendi, quem sub ver-
 borum cortice occultavit.

Altera [suppositâ sufficiente Philo-
 sophicâ scientiâ aliarum sublimiorum
 scientiarum clavi] Sacerdoti perquam
 necessaria est scientia THEOLOGICA,
 quam Scholasticam vocant, de Deo, de
 SS. Trinitate, Incarnatione, Fide, Spe,
 Charitate, Gratia, Justitia, Sacramen-
 tis; aliisque tractans & ex principiis re-
 velatis, adhibito rationis discursu, con-
 clusiones ad fidei mysteria ac morum in-
 structionem spectantes inferens. Sine
 quâ nec Theologus moralis, nec Pole-
 micus, nec Canonicus, nec Ecclesiastes,
 nec Asceta, solidè, perfectè, ac cum fun-
 damento sciet procedere. Hanc Doctor
 Angelicus naturalibus aliis scientiis &
 speculativis & practicis certitudine ac
 materiæ dignitate decet præcellere. p. 1.
 q. 1. a. 5. Hac scientiâ, ait S. Augustinus
 l. 14. de Trinit. c. 1. *Fides saluberrima
 gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.*

III. Gignitur in multis Infidelibus, nutritur in Fidelibus, defenditur ab Hæreticis, atque ita roboratur; ut omnes ei, tanquam Veritatis columnæ firmiter innitantur.

Tertia est scientia **POLEMICA**; & myfteriorum Fidei, dogmatumque Religionis Christianæ defensiva & offensiva contra quoscunque notitia, cujus beneficio Sacerdos veritates catholicas ab erroribus damnatis discernat easdemque rudi populo explicare valeat; cujus ope è Verbi divini Codicibus, SS. Patrum voluminibus, Doctorumque Polemicorum monumentis testimonia & argumentorum tela depromat; quibus armatus, Fidem strenuè propugnare, & hæreses fortiter retundere audeat. Quo & Orthodoxi curæ ejus pastorali commissi in fide verâ stabiliantur; Heterodoxi verò, quos fortè in parœciâ repere-rit, à Lutheri, Calvinive harâ, ad Ecclesiæ sanctæ ovile reducantur.

Quarta, Quam *Labia Sacerdotis custodient* est scientia **JURIS Canonici**, & Legum, obligationumque sibi ab Eccle-

fiâ impositarum ; ut eisdem integrè satisfacere , omnesque ministerii sui partes ad amissim explere noverit , indignum enim illum Sacerdotali statu censet Concilium Nicenum, qui scientia ad satisfaciendum oneri & obligationi suæ destituitur. cap. omnes. dist. 38. Et, Nisi cùm pridem , de renunt. &c. Hæc autem scientia illum docebit , horas canonicas piè & exactè sive cantando, sive recitando persolvere , Pro Fundatoribus aut Benefactoribus debita Missæ sacrificia offerre : census Ecclesiasticos sustentationi honestæ superfluos , non vanitatibus ; sed piis causis impendere : habitum decentem , pullum , & talarem , nec non tonsuram clericalem deferre : sexûs sequioris contubernia & consortia scandalosa aut periculosa devitare ; oves sibi creditas verbo & exemplo pascere ; aliaque hujusmodi quàm plurima ad officium pastorale spectantia exactè observare ; quemadmodum SS. Concilii Tridentini decreta sanctionesque synodales enucleatè præscribunt.

Quinta eaque utilissima Sacerdoti
scien-

scientia est Theologia moralis, & functionum sacerdotalium adeò multiplicium peritia. Has inter primum sibi locum vendicat divinissimi Missæ Sacrificii accurata celebratio, & sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti administratio, cujus materiam, formam, intentionem, attentionem, applicationem, ritus observandos, defectus cavendos, commissosque reparandos præter alia complura, eum scire omnino necesse est. Alterum locum postulat, Baptismi, Matrimonii, Unctionis supremæ, atque potissimum Sacramenti pœnitentiæ administratio; ut sacrum illud lavacrum, tum ad proprias, tum ad alienas peccatorum maculas eluendas rite usurpare noverit. Scire proinde ipsum convenit, delictorum gravium & levium; circumstantiarum aggravantium, & speciem mutantium; impedimentorum Matrimonii dirimentium, & solum impedientium differentiam; famæ & bonorum restitutionem concernentia, aliæque propè innumera, quæ Theologi morales prolixè pertractant.

Sexta est Scientia Sanctorum, scientia spiritus, seu Ascetica; qua Sacerdos & seipsum in via sanctitatis dirigat, & proximum sibi commissum ad apicem perfectionis Christianæ deducat. Existimare enim debet sibi à Deo idem quod Jeremiæ Prophetæ, mandatum esse: *Ecce constitui te hodie, super gentes & regna, ut evellas & destruas & disperdas, & dissipas; & aedifices & plantes. Constitui te dum Sacerdotio initiavi, dum curam animarum commisi, Ut evellas radicitus vitia, scelera & peccata. Et destruas passionem inordinatam, quæ penitus evelli nequeunt; sed destrui, quemadmodum herbas noxias conculcando destruímus: scilicet amorem, odium, desiderium, fugam, gaudium, tristitiam in appetitu concupiscente radicatas; tum etiam inordinatam spem, desperationem, audaciam, timorem, iram in appetitu irascente nidulantes. Et disperdas prava habitus & consuetudines ex frequentatione actibus malis progenitas. Et dissipas tentationes periculosas, sive à naturali complexione, sive à pravis habitibus, sive*

ab

ab indomitis passionibus, sive à diabolicis insultibus promanantes. *Et edifices* Domum sapientiæ, aut turrim perfectionis Evangelicæ. *Et plantes* in horto animæ tam propriæ, quàm alienæ præstantissimos virtutum flores, fidem vivam, spem firmam, charitatem ardentem, animi demissionem profundam, patientiam invictam, conformitatem cum voluntate divina perfectam, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, reliquaque virtutum gemina, quibus te plantante & rigante, Deo autem incrementum dante, & tua & proximi anima mirificè exornetur; atque in amœnissimum Sponsi cœlestis paradisum convertatur.

Septima denique est *Scientia Oratoria*, Rhetorica cœlestis, Eloquentia sacra; seu ars annuntiandi cum fructu Domini nostri Jesu Christi Evangelium: quâ Sancti, Petrus, Paulus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Chrysostomus, Fulgentius, Bernardinus, Vincentius, aliaque Oratorum sacrorum lumina, summa cum laude effulserunt. *Nolu-*

mus tamen Vos DD. Confratres, in exhortando populo, tumida quadam uti vaniloquentia, & juvenum Oratorum more, immaturos ingenii fucos vendere: hæc enim tanquam Verbi divini de-honestamenta omnino sunt rejicienda. Nolumus quoque vos affectata verborum elegantia, acuminum subtilitate, inventionum & conceptuum sublimitate, rerum curiosarum & rararum copiosa farragine Auditorem mulcere, & delectare potiùs, quàm, qui dictionis sacrae finis est, persuadere & permovere dictione. Ista enim qui faciat, linguâ propè sacrilegâ, eloquia Domini casta adulterat, atque hoc ipso iudicii sui tenuitatem, æterna æstimare nescientis, & Verbi Divini vim ac potentiam admirandam ignorantis, apertè demonstrat.

Nolumus tamen etiam vos, absque studio & præparatione debita, quidquid è proximo Libro primum occurrerit, crudum, ac malè coctum indigestumq; coram populo deblaterare; aut quidquid fortè in buccam venerit, temerè protrudere; atque inaniter garriendo
 sine

sine lege & ordine, horæ spatium ex-
 plere: ex hujusmodi enim concionibus,
 nullus fructus, nulla *compunctio*, nulla
 vitæ emendatio, nulla morum mutatio
 facilè reportatur; sed post centenas, &
 millenas etiam dictiones, eadem in po-
 pulo vitia, eadem peccata, eadem frigi-
 ditas, eadem dissolutio cernitur. Causa
 in promptu est: quia inania solùm ver-
 ba funduntur, & infani clamores spiritu
 divinæ charitatis haud animati excitantur,
 qui instar bombardæ sine globo, sonitum
 solùm edunt; at neminem feriunt.

Verùm unicè optamus, vos maximâ
 quâ potestis, diligentiam ac studio ad di-
 ctionem parandam, componendam,
 describendamque incumbere. Deside-
 ramus vehementer vos Auditorum ca-
 pacitati apta, bene digesta, & clara, ver-
 bi divini auctoritate irrefragabili robo-
 rata, Sanctorum Patrum expositione
 declarata, rationibus solidis & æternis
 stabilita, similitudinibus, contrariis, Pa-
 rabolis, atque exemplis probatis eluci-
 data proferre. Flagitamus quoque unicè

ut ea quæ dicturi estis , non sint solum studiosè quæsita sed & diu , multumque meditata ac ruminata , precibus etiam ardentissimis , & præviis operibus pœnosis quodammodo inflammata. Cumque hac ratione partes vestras expleveritis , gratia divina haudquaquam deerit ; sed opem feret , ut obdurata Auditorum corda veritatibus æternis percellere , ad dignos pœnitentiæ fructus inflectere , è vitiorum & peccatorum sordibus extrahere , ad virtutum , operumque bonorum exercitia efficaciter permovere valeatis ; Atque ita fiet ut è concionibus vestris peccatores revertantur percutientes pectora sua , ac in alios viros commutati mores distortos penitus corrigant.

Ex recensitis antè multiplicibus , arduisque scientiis , nullo negotio videtis , Reverendissimi , Admodum Reverendi Domini , quantum studium , labor , industria & conatus requiratur , ut eas non obiter comparetis ; sed omnino comprehendatis & penetretis. Studete igitur , & omnem industriam impendite : sed totum

tum studium vestrum, geminas comites
 semper habeat, virtutem scilicet studio-
 sitatis & puram sinceramque intentio-
 nem: illa studium ita dirigat, ut curiosi-
 tatem quæ rebus inutilibus & statui suo
 non convenientibus vacare gestit, re-
 frœnet; & simul negligentiam, quæ est
 voluntaria omissio discendi ea, quæ scire
 tenemur, exstimulet; Hæc verò efficiat,
 ut ad unius Numinis Supremi majorem
 gloriam, salutemque animarum perpe-
 tuam studia omnia referantur. Id quod
 præclare Doctor mellifluus monet,
 ferm. 36. in cant. *Observa inquit, Quid
 scire magis priusve oporteat, tempus enim
 breve est. Ea igitur prius scire ampliusq;
 curato, quæ senseris viciniora salutis; de-
 inde quo sine. Sunt namque qui scire vo-
 lunt eo tantum sine, ut sciant; & turpis
 curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut
 sciantur ipsi; & turpis vanitas est. Et sunt
 qui scire volunt, ut scientiam suam ven-
 dant; & turpis questus est. Et sunt quoq;
 qui scire volunt, ut adificent; & charitas
 est. Et item scire volunt, ut adificentur,
 & prudentia est. Ista cavete, hæc secta-
 mini,*

mini, & studiis vestris magno merito, ac fructu non pœnitendo vacabitis. Deinde studete [ut docet Suarez tom. 4. de relig. ex S. Augustino de gratia & lib. arbit. c. 1.] sed animus non ita studiis absorbeat, ut ad Deum quandoque non recurrat; nunc intentionem renovando, nunc petendo auxilium, nunc pro veritatis intelligentia gratias referendo. Studete denique sed studium vestrum ut consecratis Deo personas decet, totum sit sacrum divinum & cum charitate divina conjunctum *nam scientia inflat, charitas verò edificat.* 1. Cor. 8. 1. Sit divinum, ita ut Deus semper præsens sit ante studium, in studio, post studium: ante studium illud ad Dei gloriam & amorem dirigendo, in studio speculationibus affectus pios immiscendo; post studium instar lapidis alicubi detenti sublato impedimento, ad centrum Deum O. M. relabendo. Hæc est scientia sacra, sapientia divina, hanc sectemur in terris, ut nobiscum perseveret in cœlis.

C A P U T II.

De damnis Ignorantiæ Sacerdotum.

Et legem ex ore ejus requirent. Malach.
l. c.

EN causam, à Deo per Prophetam indicatam, ob quam *Labia Sacerdotis custodient scientiam* Legis, fidei, religionis, vitæ & morum: quia videlicet animæ ipsi commissæ, jure suo hanc, quâ ipsæ carent, scientiam, veritatem, perfectionem ex ore ejus requirent: *Et legem requirent ex ore ejus*: Sacerdotis enim est Legem cognoscere, atque alios edocere, secundum illud Ecclesiastici de Aarone cap. 41. 21. *Et dedit illi in preceptis suis potestatem docere Jacob testimonia* [id est Leges: hæ enim sunt voluntatis divinæ testimonia; quid nimirum à nobis fieri, vel non fieri desideret Deus] *Et in lege sua lucem dare Israël*, id est, legem Dei proponendo explicando, inculcando, dubia dissolvendo,

po-

populum Israeliticum illustrare. O magna Sacerdotis dignitas ! ô officii sublimitas ! ô cœlestis Doctrinæ necessitas ! Quod si verò ipsemet legem ignoraverit, quæ malorum ilias inde propullulabit ?

Etenim si Regna & Provinciæ Barbarorum, Mahometanorum, Ethnicorum aut Infidelium sine lege Christiana viventium, aut animæ nonnullæ ex locis istis in has oras translatae ad orthodoxæ Ecclesiæ gremium redire voluerint ; à quibus legem Christi requirent ? à quibus Evangelii legem haurient, nisi ab iis, quibus dictum est : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature : qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit ; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Matth. 16. 15.

Si Hæreses in populo enatae fuerint, earumque veneno animæ innumeræ tanquam epidemicâ lue passim afflentur ; quis medelam efficacem adhibebit ? Quis *Legem fidei* Rom. 3. 27. Quis legem veritatis errantibus proponet ? nisi Sacerdos, de quo Malachias c. 2. 6. *Lex veritatis in ore ejus ; & hanc animæ seductæ*

ductæ *Legem ex ore ejus requirent* ;
quam si ignoraverit , quot animæ orci
perpetuis addicentur incendiis ?

Si populi Christiani rudes , viam Do-
mini ignorantes , de quibus illud Jere-
miæ jure pronuntiâris : *Tenentes legem
nescierunt* c. 2. 8. docendi & erudiendi
in lege Domini fuerint ; quis legem salu-
tis , *Legem mandatorum* Ephes. 2. 15.
illis proponet ? nisi illi , quibus dictum à
Domino : *Docentes eos servare omnia ,
quæcunque mandavi vobis* ? Matth. 28.
19. Ex quorum ignorantia , quot animæ
ruent in interitum ?

Si plebs , si oves commissæ derelique-
rint legem Domini , & in lege ejus am-
bulare noluerint , quis improperabit
illis peccata legis ? Quis legis libros co-
ram eis expandet & explanabit *Legem
Justitiæ* ? Sap. 6. 5. Ut custodiant eam
semper , nisi Sacerdos Altissimi ? cui in-
cumbit illud Isaïæ : *Clama , ne cesses , qua-
si tuba exalta vocem tuam , & annuntia
populo meo scelera eorum.* c. 58. Et si is
ex ignorantia , aut ignavia clamare ces-
saverit ; quot animæ in peccatorum suo-
rum cœno computrescent ?

Si

Si animæ selectæ, vitæ sublimioris ac perfectionis avidæ servire Deo in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus suis exoptârint : quis illis legem sanctitatis *Legem Libertatis perfectam* : Jacobi 25. explanabit ? quis virtutis ac perfectionis regulas tradet , nisi Sacerdos Domini , qui & ipse sit vitæ sanctioris amator , & in lege ejus meditetur die ac nocte , eamque in medio cordis sui reposuerit ? Qui sufficiente spiritûs scientiâ instructus , cum Apostolo loquatur *Sapientiam inter perfectos ; non in doctis humana sapientia verbis , sed in doctrina spiritûs , spiritualibus spiritualia comparando* ? 1. Cor. 2. *Quæ animalis homo non percipit , stultitia enim est illi , & non potest intelligere.* l. c. Et si Sacerdos ipse horum ignarus & animalis fuerit , quot unâ cum ipso in insipientiæ tenebris palpabunt ?

Si dubia & ambigua in lege , ejusque observatione , aut exemptione exorta fuerint ; quis in his lumen perplexis affundet , nisi Sacerdos , cui Deus *potestatem dedit ; In lege sua lucem dare Israël* ? Eccli.

Eccli. 41. 21. *Interroga Sacerdotes legem. Aggæi. c. 2. 12. Si difficile & ambiguum, ait Dominus, apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem inter causam & causam inter lepram & lepram, venies ad Sacerdotes, quæresque ab eis, & indicabunt tibi iudicii veritatem; & facies quodcunque dixerint, qui præsumunt, & docuerint te, juxta legem ejus: qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, moriatur homo ille. Deuter. 17. 8. Si hæc in veteri, quid in lege novâ, in quâ longè difficiliora Sacerdoti incumbunt iudicia; inter lepram & lepram, non corporis, sed animæ; inter sanguinem & sanguinem id est inter homicidium & homicidium, inter causam & causam, justam vel injustam, aliaque propè innumera: cum illis à Christo Domino dictum sit: Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. Matth. 18. 18. Quæ si quis Sacerdotum ignorarit, quomodo rectum iudicium iudicabit?*

cabit?

cabit? Quot miseros in sanguine & leprâ peccatorum relinquet? Quot animas cœlo aliàs inferendas in damnationis æternæ barathrum ruere præcipites suâ inscitiâ permittet?

Verùm, ut damna è Sacerdotum ruditate promanantia clariùs perspiciamus; demus quempiam è laudatissimo Sodalitio nostro, quod tamen absit, eorum, quæ ad ministerium suum pertinent, inscitiâ laborantem reperiri.

1. An non ejusmodi ignorantia ipsum petit Episcopum, à quo sive ex inadvertentia & negligentia, sive ex nimia indulgentia Ordinibus sacris initiatus est? An non eum omnium delictorum ex ignorantia ista ortorum participem efficit? Atque ita eum, quem ut animæ suæ parentem amore & veneratione prosequi oportebat, in idem secum perditionis æternæ præcipitium devolvit?

2. Quantum dedecus hujusmodi ignorantia Ecclesiæ; quantam ignominiam ipsimet Ordini Sacerdotali affricat; dum ansam præbet, ut ministerium sacrum vituperetur; religio sancta contemptui

temptui habeatur; & divinissima Sacramenta crebrius deridiculo exponantur.

3. Quis exprimat, quæ damna indoctus Parochus populo Christiano accersat? Unde enim errores, hæreses, superstitiones, vanæ observationes, tanquam pestes cultûs divini sinceritatem inficientes profluxêre? Unde corrupti Laicorum mores, unde injustitiæ, adulteria, sacrilegia, aliâque sexcenta flagitia promanavêre? Nonne ex hac scaturigine, quod nec ritè doceantur, nec paternè moneantur, nec cordatè arguantur; & pro pane lapidem, pro pisce serpentem ab ignaris & autoritate carentibus Pastoribus accipiant? si ignorans ignoranti, *sicæcus cæco ducatum præstet, nonne ambo in foveam cadunt?* Matth. 15.

4. Denique cui inscitia istiusmodi gravius detrimentum parit, quàm ipsimet Sacerdoti? Etenim, *Vir peritus anima sua suavis est.* Eccli. 37.22. At imperitus sibi semper infestus, nullam animi quietem, nullam conscientia pacem experitur, in omnibus propè actibus suis dubius fluctuat, illic sæpenumero trepidans

pidans timore ubi non est timor. At *vir sapiens hereditabit in populo honorem* Eccli. 37. 27. Quem verò honorem, quam auctoritatem vir illiteratus habebit apud subditos? quot in functionibus sacris defectus committit? quot iudiciis erroneis & consiliis inauspicatis incautos decipit? quot sacrilegiis se necius implicat? à quibus tamen incitiã suã nullatenus excusatur? De quo jure Deus per Prophetam questus est: *Speculatores ejus cœci omnes, nescierunt univèrsi, vanes muti non valentes latrare, dormientes & amantes somnia: ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam* (inde vitia, inde scelera) *omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum. Venite, sumamus vinum & impleamur ebrietate; & erit sicut hodie, sic & cras & multò amplius.* Isaiaë 56. n. 10. 11. 12.

Reverendissimi, Admodum Reverendi Domini, Quis igitur damnis adeò enormibus bene perpensis, si scientiã necessariã defectum in se deprehenderit, ausit deinceps studia negligere, libros ab-

abjicere, Instructores refugere; & vel
 otio pernicioso se dedere, vel reculis
 impertinentibus nobilissimum tempus
 inutiliter terere? Quis ausit, contra con-
 scientiæ stimulum tantæ Ecclesiæ, pro-
 ximo & sibi ipsi detrimenta accerere?
 Enim verò verissimè S. Chrysostomus
 Epist. 2. ad Olymp. *Unum è maximis
 Ecclesia infortunis esse asserit; Si pro Pa-
 store Lupum, Prædonem pro Gubernato-
 re, Carnificem pro medico accipiat.*
 Horret quidem hæc aut animus cogita-
 re aut calamus referre; at ipsimet sen-
 tentiam pronunciate: An non talis est
 Sacerdos ignarus; qui cum nec pascere,
 nec dirigere, nec sanare noverit; *Tantis
 obest, quantis præest*, ut loquitur S. Ber-
 nardus Epist. 137? cùm enim damna,
 quæ animæ, corpori ac bonis infert, non
 terrena & temporalia, sed cœlestia &
 æterna sint: quis eum omni lupo, Præ-
 done, Carnifice deteriorem esse inficias
 jerit?

K CA.

CAPUT III.

De officiis & emolumentis docti Sacerdotis.

Angelus enim Domini Exercituum est.
Malach. l. c.

Magna Deus, hisce Malachiae verbis, officia & emolumenta ab intelligente Sacerdote referenda, insinuat: Si enim *Angelus Domini* est, & Angelus nuntium sonat: Sacerdos Nuntius est, seu ut vertit Tigurina, *Legatus est Domini Exercituum*. Quanta dignitas! Legatus est, inquam, tam populi ad Deum, quam Dei ad Populum; velut utriusque internuntius, mediator & sequester deferens mandata Dei ad Populum, ac populi preces & vota ad Deum. Quemadmodum autem D. Chryostomo teste hom. 2. in ep. ad Rom. Legatus non aliud, nisi Principis se Legantis voluntatem annuntiat; eique nihil addere, nihil demere valet; ita & Sacerdos studio

dio diligenti Libros divinos & sanctos scrutatur, ut voluntatem Dei probè cognitam, populo fideliter proponat: Et tanquam Angelus inter homines, tanquam Magister inter Pueros, tanquam Pastor inter animalia versetur; præcipuè verò terna hæc munia, Angelorum more, inter eos exerceat, quæ S. Dionysius Areopagita de cœlesti Hierarchia enumerat: scilicet *Purgare, illuminare, perficere.*

I. Officium, emolumentum, & fructus primus Sacerdotis intelligentis est, animas sibi commissas à peccatorum sordibus *Expurgare*; singulisque peccatorum morbis alexipharmaca opportuna præscribere. Quod ut felicius assequatur; cogitet se à Deo mitti tanquam Medicum ad sanandum languidos, paralyticos, cæcos, claudos, aridos, & oppressos à Diabolo; imò cogitet totum sibi creditum oppidum, pagum, parœciam, amplum quoddam esse Nosocomium seu valetudinarium; plurimis ægris non uno, sed maximè variis, periculosisque morbis refertum. O quanta

hîc opus est vel excellentissimi Archia-
tri scientiâ & experienciâ! Videas enim
hos inter nonnullos, qui sanitati pristi-
næ restitui velint ac possint; alios repe-
rias morborum spiritualium numero &
incurfu adeò debiles & fractos, ut vix
manu contingi sustineant: alios cernas
à Medico ac medela ita averfos, ut licet
sanari queant, penitus tamen renuant:
alios denique offendas, tanquam phre-
neticos; qui nec se infirmos esse sentiant,
nec incolumitati reddi cupiant.

Vides opinor, ô Pastor! ô Medice
animarum! quantæ molis & periculi
negotium tibi incumbat: Quis vel Hy-
pocrates vel Galenus spiritualis hîc non
paveat? Quanta hîc requiritur scientia,
ut morbos tam apertos quàm latentes
dignoscas? Quanta charitas & notitia,
ut *omnibus omnia* fias, & volentibus, no-
lentibus pharmacum conveniens præ-
scribas? Quanta experientia, & virtus;
ut dum contagiosos curas, ipse nullo
contagio te inficias? Quanta se animan-
di & confortandi praxis, ut animum
non despondeas, officium curandi sus-
ceptum

ceptum non deseras , nec de ullo unquam licet perditissimo spem abjicias ; sed in Deum, cujus Ministrum & instrumentum agis, fiduciam inconcussam reponas ?

Legatur si placet S. Chrysostomus L.

2. & 3. de Sacerdotio & S. Gregorius 3. p. Pastoralis. qui in hoc argumento sunt toti.

2. Alterum officium, emolumentum & fructus Eruditi zelosique Pastoris est ; oves curæ suæ traditas *illuminare* ; ignorantiae nebulas discutere ; in tenebris & umbrâ mortis sedentes , scientiæ & virtutis splendore collustrare.

Circumspicite, obsecro, DD. Confratres, mundum propè universum, Asiam, Africam, Americam, & ipsammet Europam ; & nisi ipsi cœcutiveritis, eum cœcitate percussum, & horrendis ex ea ortis sceleribus obrutum conspicietis. *Totus mundus in maligno positus est*, scribit S. Joannes 1. ep. 6. 5. 19. Quam verò malignitatis hujus radicem esse existimabimus ? clarissimè eam indicat Oseas Propheta cap. 4. 1. dum ait :

Non est scientia Dei in terra. Sed quid inde? inde cœcitas, inde omnium scelerum colluvies; mox enim subdit: *Non est veritas, non est misericordia: sed maledictum & mendacium, & homicidium & furtum & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Id est cædes cædi, turpitude turpitudini, peccatum peccato accumulatur. Omnium verò horum origo est, quia *non est scientia Dei in terra*: scilicet scientia practica, cum Dei timore, amore, cultu & obedientia conjuncta; quâ mortales Dei Numen, Bonitatem, Providentiam, Justitiam, vindictam cognoscant, æstiment, & venerentur. Ecce quantus hîc campus, quantus fructus colligi potest! quanta messis! Utinam operarii forent non pauci!

Quod si ad particularia descendere lubet; lustrate in circuitu universos, & inspicite non obiter singulos, summos & infimos, nobiles & ignobiles, doctos & indoctos, Viros & Fœminas, Juvenes & Virgines, & quàm exigua sit scientia Dei in terra, luce meridianâ clariùs perspicietis.

spicietis. Quàm enim ex omnibus hisce pauci sunt, qui Deum practicè cognoscant; id est, qui ejus Majestatem & Providentiam, ejus Potentiam, Sapientiam & Bonitatem bene apprehendant, atque ut par est, æstiment, timeant, colant, ament, & reveantur? Quam pauci sunt, qui ejus justitiam impios æternis ignibus plectentem; pios gloriâ æternâ præmiantem probè intelligant, ei unicè placere studeant, virtutibus serio vacent; vitiis constanter abstineant? Quanta proinde à vobis hinc colligi possunt merita! quanta fabricari gloriæ corona, si officio vestro strenuè fungamini?

Reverendissimi, Admodum Reverendi Domini: ô si Angelorum instar, has mortalium tenebras dissipare, veræque Dei scientiæ radiis, si non omnes, saltem nobis commissos perfundere possemus! O si hac practicâ Dei cognitione illuminare liceret mundi Reges, Principes, Magnates, Duces Proceres! quàm longè aliter vitam suam instituerent; quàm longè meliùs populos subiectos, provinciâsque gubernarent? O

si hac practicâ Dei notitiâ imbuere fas
 esset tot illustres animas, tot Comites,
 Barones, Nobiles; profectò eorum vi-
 vendi ratio, non in politicis, politisque
 ceremoniis, aut phaleratis verborum
 lenociniis consisteret; nec tam notabili
 veræ devotionis, pietatis, & rerum æter-
 narum æstimationis defectu laboraret!
 O si hac practicâ Dei scientiâ in Viris
 amplissimis, Consultissimis, Clarissimis
 magis vigeret; quanto ferventiùs, justi-
 tiam, cujus Sacerdotes audiunt, cole-
 rent! atque ex Bartolo & Baldo in spe-
 ciem textus allegare refugerent! O si
 hoc lumen practicum, fortiùs Mercato-
 rum, Civium, Militum, & colonorum
 oculos perstringeret, quàm longè aliam
 vivendi methodum inirent! quàm longè
 ab eis furta, mendacia, doli, fraudes,
 luxuria, invidia, acedia, aliâque scelera
 exularent, non sine maximo animarum
 innumerarum lucro & emolumento!

3. Tertium officium, emolumentum & fructus Sacerdotis scientiâ virtu-
 tēque insignis est; animas perfectionis
 desiderio succensas *Persistere*, & ad per-
 fectionis

fectionis culmen perducere. Utinam Domini Confratres nobilissima hæc scientia, & sapientia cœlestis in cordibus nostris resplenderet; quâ & nos ipsos, & nobis concreditos ad veram perfectionem elevaremus! Et sanè id postulat officii nostri ratio; id æterna Veritas à nobis requirit: Omnibus enim nobis inculcatum est sanctimoniam Christianam studium; omnibus dictum est: *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. 5. Omnibus dictum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* Matth. 22. Omnibus dictum est: *Oportet semper orare, omnibus renuntiare, animam suam odisse, injurias patienter ferre, dignos pœnitentiæ fructus facere, per angustam portam intrare; in omni conversatione sanctos esse.* Hæc oportet nos facere & docere: & qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno celorum. Matth. 5. 19.

Hæc evangelica perfectio, vera est Sapiencia, sed mundi affectibus ignota, imò stultitia est; & tamen magnum Dei donum est. Hæc est drachma illa Evan-

K 5 gelica,

gelica, à paucis cognita, à paucioribus
 quæfita, à paucissimis reperta, & tamen
 beatitudinis æternæ pretium est. Lucæ
 15. Hæc est margarita illa pretiosa, quam
 qui invenit & cognoscit, ita æstimat &
 amat; ut venditis omnibus eam compa-
 ret. Matth. 13. Hic est thesaurus ille
 absconditus, ab oculis innumerorum
 mortalium; utinam non etiam quorun-
 dam Sacerdotum; & tamen omnibus
 mundi opibus infinitè præstantior: Et ut
 paucis multa complectar, hæc perfectio
 est arrha salutis & pignus regni cœlestis,
 Est amicitia, cognatio, unio animæ cum
 Deo & beatitudo, quæ in terris haberi
 potest ineffabiles homini divitias, deli-
 ciasque accumulans.

Reverendissimi Admodum Reve-
 rendi Domini; Si hanc perfectionem
 Dominus Christus desiderat ab omni-
 bus, quantò magis à Sacerdotibus &
 Pastoribus ministris suis personam suam
 sustinentibus; ut & ipsi hanc scientiâ san-
 ctorum & scientiâ cœlesti splendeant,
 & sibi commissos eadem illuminent?
 Quâ verò ratione alios illuminabunt,
 qui

qui ipsimet luce scientiæ carent ? quomodo margaritam pretiosam , thesaurum absconditum , aliis patefacient , quem ipsi ignorant ? quomodo hujus cum Deo unionis pretium & æstimationem aliis inculcabunt , qui eam ipsi nec æstimant, nec obtinere satagunt. Unde verò lucem & æstimationem ejus obtinebimus ? 1. Ex oratione. *Invocavi & venit in me Spiritus Sapientia.* Sap. 76. - 2. Ex meditatione. *In meditatione mea exardescet ignis.* psal. 38. 3. - 3. Ex lectione : *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* psal. 118. 130. - 4. Denique ex studio diligenti : *Vacate & videte.* psal. 54. 11. Vacemus igitur studiis & videamus, ut cognoscamus, & cognita æstimemus, æstimatâque cum maximo spirituali lucro aliis communicemus.

DIGRESSIO

Ad Sacerdotes curam pastoralem non habentes.

V Ideo mihi hîc audire Sacerdotem quempiam ista mihi oggerentem:

K 6

Equi-

Equidem non eâ mente characterem Sacerdotalem suscepi, ut animarum curæ & Sacramentorum administrationi me implicarem: sufficit mihi, stans diebus ad aram facere; & psalmos Davidicos cum aliis in Choro decantare; de cætero in pace & quiete Deo servire cupio, ac bibliothecas, sublimiores scientias & Doctorales laureas, libens aliis relinquo. Ita ille. Audio. Itane verò? An non cogitas, ô Sacerdos Domini! Te Clericum, Ecclesiasticum & quidem sacerdotio initiatum esse? adeoque & te esse Angelum Domini Exercituum, Dei ministrum, Nuntium & Legatum! Sancta simplicitas & rusticitas, ut loquitur D. Hieronymus, sibi solùm prodest: at, an hoc Ministro Christi sufficit?

Minister Christi es, ô Sacerdos! sic enim Malachiæ verba Interpres Chaldaeus vertit: *Minister est coram Domino Exercituum*, quomodo autem debite ministrabis coram Domino, si ea quæ ad ministerium tuum pertinent, aut omnino non, aut non exactè callueris?

Minister Christi es, ejusque vices gerens in celebrando & offerendo divinis-
simo sacrificio: quomodo verò illud ut
par est, offeres; nisi materiam, formam,
attentionem, intentionem, applicatio-
nem, aliâque supradicta, studio dili-
genti intelligere laboraris.

Minister Christi es, & vice populi, ad
laudes Domino decantandas destinatus
instar Angeli [Angelorum enim est lau-
dare Deum, ut ait S. Basilius] ut velut
illi in cœlo, sic & tu in choro, concinas:
*Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus
Deus Sabaoth.* Quomodo autem sapi-
enter & intelligenter psalles, si psalmos
nec intellexeris, nec abdita mysteria eo-
rum noveris? Quomodo verò intelli-
ges, Si Augustinum, Bellarminum ali-
osque Interpretes non studiosè evolve-
ris?

Minister Christi es, Angelus es, ma-
jorem Angelis à Deo potestatem adep-
tus: quantâ igitur virtute, quantâ cha-
ritate, & perfectione te conspicuum esse
convenit? Unde verò illarum notitiam
hauries, si libros asceticos de virtutibus

& perfectione tractantes non perlegeris? adeoque nec virtutes, nec earum actus, nec objecta nec motiva nec discrimen à vitiis, dignoscere didiceris?

Minister Christi es; Deique Legatus; nullane à liberalissimo Numine talenta consecutus es, quibus legatione fungaris, animasque lucreris, vel catechisin tradendo, vel verbum Dei prædicando, vel domi privatim instruendo, vel ad bonum cohortando, vel à malo abstrahendo, vel cum aliis utiliter conversando? Itane gratias & facultates in Ordinis sacri susceptione collatas negligere, licitum arbitraberis? Et siquidem vel unicum talentum obtinueris, quò ferres in die Iudicii confusionem illam quando mnam tuam in sudario repositam, odiosamque proferens, à supremo Iudice audies: *Serve nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam; ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam, Aufferte ab illo Mnam, Lucæ 19. 23.*

Minister Christi es denique; Non oportet, fateor, te Authoritate propria
my-

mysteriorum Dei dispensationem tibi arrogare; sed an non paratum, dispositumque te esse oportebit; ubi Prælatus tuus, cui reverentiam & obedientiam pollicitus es, injungere voluerit? Verùm demus Episcopum hac in parte tecum connivere, nec ad ullam te Sacramenti administrationem urgere; nullusne extremæ necessitatis casus contingere potest, quo non solum possis, sed strictè tenearis moribundo Sacramenti cujuscumque collatione opitulari? Infantulus quispiam de vita periclitatur? adultus quidam morbo repentino ad ultimum vitæ spiritum redigitur: lethali vulnere fauciatus, aut casu improvise oppressus, aut lapsu ex alto collisus, animam mox acturus creditur; nec alius adest sacerdos, nec accersiri potest præter te, qui nullatenus Sacramentis administrandis immisceri te velle professus es, ideòque ad hujusmodi ministeria spectantia scire neglexisti; quid obsecro casu isto occurrente, ages? in quas angustias te cum moribundo redactum conspicias, cum Sacramenti administrandi nec materiam

nec

nec formam, nec alia ad validam, licitamve administrationem, tam ex parte tua quam ex parte moribundi, requisita didiceris, aut penitus ex studii defectu, oblivioni tradideris? Cernis igitur, ô Sacerdos! licet te ad animarum curam non destinatum asseras non tamen studendi onere penitus esse liberum; sed eodem quoque obstrictum teneri te studiis Ecclesiastico convenientibus, operam navare; quo & salutem ac perfectionem propriam & alienam procurare, Deoque officiis sacerdotalibus debite deservire valeas: ne eveniat tibi quod Deus per Oseam c. 4. 6. minatus est: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

EPILOGUS.

QUæ cum ita sint, Domini Confratres, patet, quanta sit necessitas quanta utilitas, ut juxta Canonem modo expositum, omnes & singuli, præsertim Curati contentur non obiter scire, sed comprehendere & penetrare ea, quæ

tam ad sui, quàm aliorum directionem & instructionem pertinent. Quod si è jam dictis cognoverimus ; restat ut, si scientiæ necessariæ defectum in nobis deprehenderimus , serio ad studia animi adjiciamus ; & quod in scientia scripturæ Theologica, Morali, Polemica, Ascetica vel Ecclesiastica nobis deest, sedulò comparare allaboremus. Studeamus igitur sed purissimâ intentione gloriæ divinæ ; studeamus sed æternitati , non vanitati : Studeamus sed omne studium nostrum sit sanctum ; quale postulat Apostolus ad Titum c. i. *Ad agnitionem Veritatis , quæ secundum pietatem est , in spem vitæ æternæ, & jungamus cognitioni amorem ; ad similitudinem Verbi æterni , quod procedit à Patre , non tanquam Verbum solùm , sed tanquam verbum spirans amorem ; ita & scientia nostra non sit sola scientia ; sed scientia spirans charitatem, reducendo cognitionem ad affectum.*

Studeamus, ne ex defectu scientiæ damna ingentia nobis , aliisque accersamus ; cum clarè viderimus, nos absque
 scientiæ

scientiæ adminiculo ; nec infideles instruere , nec Hæreticos reducere , nec Rudes Christianos informare , nec peccatores à vitiis abstrahere , nec animas perfectionis avidas per semitam perfectionis posse deducere. Quodsi , his non obstantibus , studia neglexerimus ; quâ ratione , præter dicta , alia complura damna evademus ? Quomodo coram supremo Numine defendemus , quod ex ignorantia nostrâ , Dignitas sacerdotalis ignominiâ afficiatur , Populus Christianus in erroribus , superstitionibus & sceleribus relinquatur ; nosque ipsimet , in dubiis , angoribus , scrupulis , defectibus & non rarò in sacrilegiis miseri hæreamus , & inglorii , rudésque in otio confenescamus.

Studeamus strenuè , ut munus Anglicum , munus Nuntii & Legati ritè obeamus , optatosque scientiæ sacrae fructus copiosè referamus. Quantum emolumentum est animas nosse à vitiis purgare , & ab innumeris animæ morbis dextrè liberare ? ut non æternùm pereant sed habeant vitam æternam ? Quantum

tum emolumentum est , omnis statûs homines in tenebris & umbra mortis ambulantes , divinæ gratiæ ope illuminare , & practicâ Dei cognitione , imbuerent , quo Deum O. M. ut par est , æstiment , colant , timeant , ament , & debitis obsequiis honorent ? Quantum emolumentum est , scientiam Sanctorum , scientiam spiritûs probè callere , quâ & nos ipsos , & proximos nostros , ad montem perfectionis feliciter perducamus ; & acquisitis sublimibus virtutum gradibus Deum totâ æternitate quàm maximè glorificemus ?

Nec Sacerdotes curâ animarum carentes , studiis sese eximant , verùm omnia ad sacrificii , psalmodiæ Sacramentorum in necessitate administrandorum scientiam & experientiam & præcipuè ad scientiam spiritûs pertinentia , intelligere studeant , tum ne otio contabescant , tum ne talenta à Deo accepta infructuosè in terram defodiant , tum ne nobilissima Scientiâ Sanctorum careant , ne eveniat illis , quod Deus per Oseam c. 4. 6. minatur.

Stu-

Studeamus itaque gnaviter DD.
 Confratres, ne quidquam, ad officium
 nostrum spectans ignoremus: *Si quis
 ignorat, ignorabitur: 1. Cor. 14. 38.*
 Dicamus in terris, ait S. Hieronymus,
 quorum scientia perseverat in cœlis. Sic
 stude, suadet idem S. Doctor, tanquam
 semper victurus, sic vive tanquam sem-
 per moriturus. Sic ergo vivamus, sic stu-
 deamus, legamus, scribamus, cum
 Zeuxe pingente æternitati, & scientiis
 acquisitis ad gloriam Dei ac salutem a-
 nimarum, sic utamur; ut in nobis Pro-
 pheticum promissum impleatur: *Qui
 autem docti fuerint, fulgebunt, quasi
 splendor firmamenti: Et qui ad justitiam
 erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas
 æternitates. Dan. 12. 3.*

CANON IX.

H *Abitu utantur communi, simplici,
 honesto & modesto; studeant place-
 re moribus, non vestibus.*

EX.

EXPOSITIO

Sponsa in Cantico Canticorum, Christi Sponsi, pulcherrimi, consortium ambiens, & ab eo amari unicè desiderans, seipsam unâ atque eâdem verborum serie, de nigredine & venustate commendat: *Nigra sum, inquit, & formosa Filia Jerusalem, sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Cant. i. 4. At, ô Sponsa, nonne nigredo potius esset à te silentio supprimenda, quæ ipsam pulchritudinem obfuscat, & decorem corporis ex amœno colore & debità membrorum proportione consurgentem non parùm extenuat? Color atter in fœmina apud Æthiopes forsitan habetur in precio; sed Sponsa in Candidorum regione nata, quo pacto colorem nigrum cum pulchritudine junctum, in sui laudem commemorat? Verùm enim vero, si rem penitus inspiciamus, haud erit difficilis expositio, eùm Sponsa de diversis sermonem instituat; quando nimirum de corporis nigre-

gre-

gredine, ac de mentis pulchritudine se
deprædicat: tanquam si diceret: Corpo-
re quidem sum nigra & squalida; sed
mente pulchra sum & decora, *Sicut ta-
bernacula Cedar*, seu tentoria Arabum,
quorum Cedar Ismaëlis Filius, Pater ex-
titit; quæ cum identidem locum mu-
tent & per deserta ac invia ferantur, fo-
ris coriaceâ & subnigrâ pelle squallent;
intus autem divitias & elaboratam pul-
chritudinem continent. *Et sicut pelles
Salomonis* seu tentoria foris deformia,
intus formosa sunt; dum magnam auri,
argenti & gemmarum copiam, & im-
mensam cortinarum pulchritudinem,
atque ipsum Regem Salomonem intus
quiescentem, vilibus sagis & ciliciis co-
operiunt; ita ego, ait sponsa, *Nigra sum,
sed formosa.*

*Reverendissimi, & Admodum Reve-
rendi Domini Confratres*, Anima sancta,
anima justî, anima Sacerdotis, Sponsa
est Salvatoris: quæ ut Sponso cœlesti
placeat, *Nigra sit & formosa*; Nigra in
corpore, sed candida in anima; fulca in
veste, sed formosa in mente; atra operi-
mento

mento membrorum corporis ; sed pulchra ornamento morum & virtutis ; *Sicut tabernacula Cedar & pelles Salomonis*. Atque hoc ipsum est, quod Canon nonus Confraternitatis nostræ celeberrimæ præscribit : ut scilicet mores & vitam pulchram, justam, sanctamque reddant ; & nigredo vestis ac modestia cultûs, veluti operimentum virtutis, ac murus sanctitatis, eandem contegant, tueantur atque conservent. Quod utrumque, ut prompto, libentique animo, & corde toto amplectamur ; auctoritates & rationes solidas tam de vestibus, quàm de moribus, producemus.

C A P U T I.

DE VESTIBUS.

Prima Encomii Sponsæ pars est, nigredo : *Nigra sum*, inquit. Laudem hanc meritò sibi quoque Confraternitas nostra laudabilissima vindicat. *Nigra sum* : id est : *Habitu utor, nigro, communi, simplici, honesto & modesto* : quena-
admo-

admodum status sacerdotalis ac pasto-
ralis exigit; & Canon præsens exposcit
ne verò quisquam ab eo unquam defle-
ctat, Divinorum eloquiorum oracula,
Conciliorum Oecumenicorum decreta,
Sanctorum Patrum monita, & rectæ ra-
tionis argumenta, quæ jungimus,
seriò ac sedulò expendat.

§. I.

*SACRÆ SCRIPTURÆ
ORACULA.*

Si verbi divini Codices pervolvamus,
Exempla Christi, quæ moveant, Aposto-
lorum monita, quæ doceant, & Pro-
phetarum minas, quæ terreat, atque à
luxu & vanitate vestium deterreat, in-
veniemus.

I. Quid enim obsecro, Dominus &
Salvator noster, tum per se docuit, tum
per Apostolos suos sæpius ingessit, quam
mundi gloriam spernere, fastum sæculi
calcare, vitæ superbiam fugere, super-
flua resecare; & paupertatem spiritus ex
animo

animo sectari ? Ut verò doctrinam hanc suo firmaret exemplo ; ipse nasci voluit in stabulo, reclinari in præsepio, pannis involvi, ac vitæ totius decursu, domo, lectulo, omnique ferè humano solatio destitui. *Vulpes, inquit: foveas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis, non habet, ubi caput reclinet.* Matth. 8. Si verò hæc amplexus est Dominus, quid faciet servus ? si hæc Sacerdos summus, quid infimus & minister ejus ? Tu ipse, Sacerdos Altissimi, fer sententiam : an non quò longiùs ab illustriſſimo hoc perfectionis omnis prototypo in vestitu, domo, supellectile recedis ; eò omnis sanctitatis speculo dissimilior, & mundo, ejusque affeclis conformior evadis ?

2. Præclarè sanè modestiam hanc à Christo hausere Apostoli, eamq; ad posteros suos, tum verbo, tum exēplo transmisere : *Habentes, inquit eorum unus, alimenta & quibus tegamur, his contenti simus* 2. Tim. 6. 8. *Quibus tegamur* ait Apostolus, non quibus gloriemur, & efferamur, cūque hoc exigat à sæculari-

L

lari-

laribus , quid à sacerdotibus Dei ministris requiret ? Profectò idem Doctò gentium ; dum Timotheo Ephesino Episcopo [sub quo & Sacerdos comprehenditur] morum præcepta tradit ; inter cætera , eum esse *Ornatum* desiderat .
 1. Tim. 3. hoc est , habitu honesto & modesto , qui virum gravem deceat , exornatum , ut S. Chrysolom. hom. 8. in Epist. 1. ad Tim. explicat : *Habitu* [Apostolus] profectò *tunicam undique honestam compositam* , significare voluit . *Ornatum* , non *exquisitum* intelligas , sed *moderatum* ; hic enim ornatus habitus est , ille autem *foedus* , seu ut S. Hieronymus ad Oceanum , exponit , *moribus compositum* ; qui in motu , incessu , habitu , & sermone decorum servet ; quo etiam per corpus , animi moderatio & temperantia elucescat . *Amictus enim corporis* , & *risus dentium* , & *ingressus hominis* , nuntiant de illo . Eccl. 19. 27. Quia videlicet sicut immoderatus risus levitatem , ac pompaticus incessus arrogantiam & superbiam , ita exquisitus corporis cultus utrumque indicat & significat :

cat : velut optimè notat Clemens Alexandrinus 3. Pædag. C. 11. *Quemadmodum ait fumus ignem , bonus autem color , bonusque pulsus sanitatem , ita etiam talis qui est apud nos amictus , indicat , qualis sit nostrorum morum constitutio.*

3. Nec minæ propheticæ in transgressores modestiæ defunt , primo enim minatur Sophonias c. 1. 8. vaticinans : *Et erit in die hostiæ Domini , visitabo super omnes , qui induti sunt veste peregrinâ.* Impleta est prophetia hæc ad litteram , quando *in die hostiæ* , id est tempore excidii Hierosolymitani , quo urbs hæc à Chaldæis velut victima mactata est , Judæi veste peregrinâ gentilium , Ægyptiorum , Philistæorum Ammonitarum & Tyriorum induti , in pœnam levitatis & curiositatis suæ visitati & everfi sunt , Implebitur verò tropologicè hoc vaticinium in Sacerdotibus ac Pastoribus Animarum , quando *in die hostiæ* , in die judicii extremi , *Visitabit Dominus super omnes , qui induti fuère veste peregrinâ* , sive à statu suo alienâ ,

L 2 dum

dum non instar Clericorum Deo sacra-
torum ; sed hominum mundanorum ,
non instar Sacerdotum , sed militum
aut officialium bellicorum, vestitu colo-
rato , variegato , aureisque lemniscis di-
stincto , statûs sui sanctitatem dehone-
stârunt :

Si vero mysticè interpretari velimus :
vestis nostra Christus est , quam in bap-
tismo assumpsimus , secundum illud A-
postoli ad Gal. 3. 27. *Quicumque in
Christo baptizati estis , Christum indu-
istis.* Et ad Ephes. 4. 24. *Induite novum
hominem , qui secundum Deum creatus
est , in justitia & sanctitate veritatis , &
ad Coloss. 3. 12. Induite vos ergo sicut
electi Dei viscera misericordie , benigni-
tatem , humilitatem , modestiam.* Jam
vero , quod si nos non vestem Sacerdo-
tis Christi , sed victimæ orci , non servi
Dei , sed mundi & Diaboli insignia cir-
cumferamus ; si pro misericordia crude-
litatem , pro benignitate asperitatem ,
pro humilitate superbiam , pro modestiâ
fastum , & luxum vestium induamus ,
an non veste peregrinâ Cacodæmonis
ami-

amicimur? Absit, absit, Domini Confratres. *Sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum* Rom. 13. 14. ejusque simplicitatem, humilitatem, a modestiam : qui enim virtutibus hisce spretis vitia contraria assumit, Antichristum induit.

His deinde accedit, Amos Prophetæ Comminatio, vanitatum sectatoribus horrendum vae intentantis, *Vae inquit, qui opulenti estis in Sion & confiditis in monte Samaria. Optimates [Ecclesiæ] Capita populorum ingredientiæ pompaticè domum Israël; qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis instratis vestris bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Amos c. 6. v. 1. Heu! quam timendum est, ne qui in mystica Sion, id est in Ecclesia Christi, opibus affluunt, vino, crapulæ & voluptatibus se dedunt, pompas sæculi ambiunt, mundi cultum luxumque requirunt, & quod inde sequi assolet, immiseri cordiæ vitio laborant, & contritione id est ærumnas populi publicas, & pri-

L 3 vatas

vatas non curant, Quam inquam, timendum est, ut audiant quod per Prophetam eundem Dominus jurat : *Juravit Dominus, detestor ego, superbiam Jacob, & domos ejusmodi [magnificas] & tradam civitatem cum habitatoribus suis l. c. Assyriis eorum hostibus v. 8.* Quam meritò timendum est, ut hujusmodi aliquando pœnitentiam nimis feram agant, & præ angustia spiritus ingemiscentes dicant, *Quid nobis profuit superbia aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra & tanquam nuncius præcurrens Sap. c. 5.*

§. II.

CONCILIORUM OECUMENICORUM DECRETA.

Librorum divinorum oraculis luxum vestium damnantibus, varia Conciliorum Oecumenicorum Ecclesiam universam representantium Decreta adstipulantur, quæ sæpe numero decentem

centem vestitûs culturisque modum non sine pœnis in transgressores additis Clero præfigunt.

Concilium Nicanum 11. Anno 788. celebratum Canone 2. decernit sequentia, *omnis ornatus corporeus, est à sacerdotali ordine alienus, Episcopus ergo & Clericos, qui se splendidis & insignibus vestibus exornant, corrigere oportet: sin autem permaneant, supplicio tradi: similiter & eos, qui sunt unguentis delibuti. Et si inventi fuerint aliqui, qui vili modestoque habitu indutos irriserint pœna corrigantur: à superioribus enim temporibus omnis vir sacerdotalis cum moderato & honesto indumento versatur.*

Concilium Agathense Anno 506. habitum Canone 20. sancivit: *Clerici qui comam nutriunt [quid dicturum fuisset de iis presbyteris, qui cum prolixo capillitio ficto, ad ipsum Altare sacrosanctum accedunt] ab Archi-Diacono, etiam si noluerint inviti detondeantur: vestimenta vel calceamenta etiam eis, nisi que religionem deceant, uti, aut habere non liceat.*

Concilium Matisconense Anno 581. collectum Canone 3. statuit : ut nullus clericus sagum, aut vestimenta secularia, nec nisi qua religionem deceant, induere presumat. Quod si post hanc definitionem Clericus, aut cum indecenti veste aut cum armis inventus fuerit, à Seniore ita coerceatur, ut triginta dierum inclusione detentus aquâ tantum & modico pane, diebus singulis, sustentetur.

Synodus Quinisexta Canone 27. ordinavit ut nullus eorum, qui in Cleri Catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque NB. iter faciens, sed utatur vestibus, qua clericis attributa sunt, si quis autem tale quid fecerit, una septimana à segregetur. Omissis aliis quam plurimis quæ brevitatis gratiâ præterimus Conciliis antiquioribus, novissimè.

Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. sic definit, oportet clericos vestes suo congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. *Tanta autem hodie aliquorum inolevit*
teme-

temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem, & honorem clericalem parvi pendentes vestes etiam deferant purè laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis alterum in carnalibus -- Unde Concilium pœnam salutarem addit, ut si tales ab Episcopo moniti, sese non correxerint, ab ordinibus, officiis, ac beneficio, suspensi, etiam fructibus ac redditibus priventur.

O sacer rigor ! ô sancta cleri veteris disciplina ! ô salutaria conciliorum universalium decreta ! utinam à moderno Clero, summo, medio, infimo, absque respectu personarum, servaremini, aut servari juberemini ! ô salutares Canones antiqui, utinam hoc ævo quibusdam in locis, cum magno Ecclesiæ damno in desuetudinem non abiretis ! & siquidem fortassis id accidat, alibi in aliis, at non hîc in membris laudabilissimæ nostræ Confraternitatis.

§. III.

SANCTORUM PATRUM MONITA.

PAginis sacris conciliisque Oecumenicis sancti patres & Ecclesiae Doctores, unanimi consensu, suffragantur, & luxum, ac vanitatem vestium; in Clero praesertim lingua, & calamo acriore perstringunt. Hos inter.

S. Chrysostronus monitum illud Ecclesiastici explanans: *in vestitune glorie ris unquam* cap. 11. 4. Homil. 2. in Epist. 1. ad Timotheum hac ratione discurret. *In amictu vestium ne glorieris: nam tinea ubi pretiosiora illa invaserint indumenta, hujus te gloria voluptate privabunt, vides quam incerta, quamque instabilis sit haec vitae praesentis gloria: gloriantur in re, quam vermes & gnunt & perdunt.*

Idem Homil. 30. in Epist. ad Romanos: *Deposito, inquit vilis faeni onere [hoc enim est vestium sumptus] ornatum accipe*

accipe cœlestem virtutum. Hic est Ecclesia (& Ecclesiasticorum) ornatus , ille theatrorum ; hic est cœlis dignus , ille equis & mulis : ille & mortuorum corporibus circumdatur , hic in solâ splendet animâ , in quâ habitat Christus. S. Augustinus serm. 8. de verbis Apostoli scribit. Exterioris hominis ornamenta , quanto magis appetuntur , tanto sunt interioris majora detrimenta ; quanto autem minus appetuntur , tanto magis moribus pulchris homo adornatur. Quare ad modestiam cultûs hortatur , ita ut excessus pariter & defectus evitetur , nam lib. de vita beata idem S. Doctor ait : Modestia utique dicta est à modo , & à temperie temperantia , ubi autem modus est atque temperies , nec plus est quicquam nec minus. Medium itaque Clericis tenendum , sita namque in medio virtus , vitium ad extrema rejicitur , ut ea devitent ac fugiant , scilicet & quæsitam venustatem & inamœnam speciem , pœdorem & horrorem insignem ; quamvis in hoc pauci , in illo plures excedere notentur.

Clerici igitur luxum & sordes pariter devitent quod de S. Bernardo referri solet: *In vestibus semper ei paupertas placuit, sordes nunquam.* L. 3. vitæ c. 2.

Verum antiqua est mellei hujus Doctoris querela, quam in Epistola sua 42. hisce verbis insinuat, *Cernitur in nonnullis Sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus: quibus ego si rememorem illud apostolicum: non in veste pretiosa: 1. Tim. 2. vereor ne indignentur.*

Labem hanc suæ etiam ætati inustam gemit & aculeatâ oratione pungit S. Hieronymus Epist. 22. *Omnis inquit his cura de vestibus, si benè oleant, si pes laxa pelle non folleat: animus verò, qui in primis curis esse debuit, ponitur in postremis.*

Sed dicunt aliqui [ut observat & sibi vet obicit laudatus ante S. Bernardus l. 3. de conscientia c. 5.] *Num de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus? At formâ hæc vestium, deformitatis mentium & morum est indicium, quid enim sibi vult, quod Clerici aliud esse,*

esse, aliud videri volunt? id quidem minus castum minusque sincerum; nempe habitu milites, quasi clerici, actu neutrum exhibent: nam neque pugnant ut milites, neque ut clerici evangelizant, cuius ordinis sunt? cum utriusque esse cupiunt, utrumque deserunt utrumque confundunt: unusquisque inquit Apostolus in suo ordine resurget: isti in quo? An qui sine ordine peccaverunt, sine ordine peribunt? ut igitur hoc infelicitatis præcipitium devitet Christi Sacerdos, & quivis alius Clero Ecclesiæ adscriptus; serid cogitet, secumque perpendat, quantum hæc pomparum sæculi affectatio statûs sui sanctitati repugnet; quamque indignum & turpe sit, illum, quem gloriari nullatenus decet, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi Gal. 6. mundanæ gloriolæ auram ex vano aliquo exteriori apparatu venari.

§. IV.

RATIONUM MOMENTA.

QUOD si Sacerdotem nonneminem (neminem ex nostrâ *Confraternitate* futurum confidimus) usque adeo vanitatis studio abreptum reperire sit, ut eum nec verbi divini oracula, nec Conciliorum generalium sancita, nec Patrum sanctissimorum fulmina percellant ac moveant, is valida saltem rationum momenta ad rationis trutinam revocet, si forsan pondere suo ad modestiam nonnihil inflectant resistentem.

Rationem primam vel ab ipsa indumentorum naturâ ac fine desumere licebit: vestimenta enim data sunt, tum in erubescentiæ, tum in infirmitatis humanæ remedium. Ac primo quidem nobis fuerunt in subsidium erubescentiæ concessa, quoniam corpora nostra, adversus animam rebellantia, & contra voluntatem hominis in turpes se motus efferentia, debuerunt, ut sine rubore
in

in unum multi viveremus, indumentis operiri: ut ex Genesi liquet, ubi post transgressionem de parentibus protoplastis dicitur: *Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Gen. 3. 9.

Deinde vestimenta sunt nobis propter indigentiam prærogata: quia nimirum æstu fatigati, & frigore afflicti, & imbribus & nivibus, & grandine ac pruina, & aliis inclementiis verberati, debuimus indumentis veluti medicamentis foveri & veluti armis ab ictibus fervorum nostrorum, qui propter peccatum in nos infurrexerunt, utcunque defendi.

Ex his statim, ut facile cuivis patet, consequitur, indumentum esse veluti infamiae notam, miseriae & infelicitatis insigne: si enim in fidelitate erga Deum Dominum nostrum perstitissemus; nec corpus contra rationis imperium in turpes motus profiliret, nec nos molestia rerum naturalium invaderet, unde nec necessitas vestimentorum accederet aut urgeret. Quid hinc denique inferemus

&

& concludemus? hoc sane, indumenta exquisitiora parare, & ex illis aut oblationem, aut honorem quærere, esse manifestè à lege divinâ exorbitare, atque ab honesto fine, propter quem sunt instituta, deficere, quid enim est in re probrosâ gloriari? nisi furis instar ad furcam damnati, de resti collo injectâ sese inaniter ostentare ac triumphare.

ALTERA Ratio maximi sanè momenti ad luxum vestium, aliarumque rerum fugiendum, potenter impellens est, quod bona Ecclesiastica Sacerdotibus superflua, atque in usus superfluos ac vanos insumpta, sint *res alienæ, bona pauperum, Patrimonium Christi, Res Dei.* ut clarè testantur Concilium Antiochenum, Toletanum, Aquisgranense, Lateranense, ac Tridentinum sess. 25. de reformat. Item SS. Ambrosius Augustinus, Hieronymus, Prosper, Isidorus Pelusiota & alii quàm plurimi, ac proinde inferunt, ea bona, non in superflua, vana noxiâque esse insumenda; verum in usus pios & proficuos Ecclesiæ Dei ac pauperibus: qui secus fecerint,

eos

eos esse fures, sacrilegos, & Raptores, asseverare non dubitant. Omittis brevitatis gratiâ aliis, unum audiamus Doctorem mellifluum Epist. 2. ad Fulconem Canonicum Lugdunensem ita scribentem: *Dignum est inquit ut qui Altari deservit, de Altari & vivat, conceditur ergo tibi, ut si benè deservis, de Altari vivas, non autem, ut de Altari luxurieris, ut de altari superbias, ut inde tibi compares fræna aurea, sellas depictas, calcaria de argentata, varia griseâque pellicea, denique quidquid præter necessarium victum & simplicem vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

Idem S. Doctor Epist. 42. ad Henricum Senonensem ArchiEpiscopum c. 2. scribit. *Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt: dicite Pontifices, in fræno quid facit aurum, nunquid aurum à fræno repellit frigus aut famem? nobis frigore aut fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis vel plicata in manticis? nostrum est quod effunditis; nobis crudeliter sub-*
tra-

trahitur, quod inaniter expenditis: & nos etiam Dei plasmatio, & nos Christi sanguine redempti sumus, nostris necessitatibus demitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Hæc quæ S. Bernardus sincerè confidenter & cordatè scribit Archi-Episcopo, quilibet Sacerdos, quem conscientia propria accusaverit, facile sibi adaptaverit.

His verò ritè perpensis, quis erit vel adeo insipiens, & præposterus, ut quod ordinatum est, in erubescentiæ & indigentia remedium, vertat in signum honoris & gloriæ, vel adeo iniquus & inhumanus, ut pauperibus dedita ac necessaria, in usus superfluos vanosque convertat? præsertim si consideret; quod, sicut de reliquis omnibus, ita etiam de bonorum temporalium usu atque expensis, supremo Judici rationem strictam redditurus sit, idque ut ipsemet edixit usque ad novissimum quadrantem.

§. V.

DE MATERIA FORMA ET
Colore vestium Clericalium.

Quandoquidem tot authoritatum & rationum momentis à luxu fastuque vestium deterremur, isque in tribus potissimum versetur, scilicet materiâ, formâ & colore, dispiciamus si placeat, quænam in his observanda, cavendaque videantur.

Materia vestis clericalis, lanæ plerumque sit, non bombycina aut serica, nisi fortè hanc exigeret singularis quædam Personæ illustris aut dignitatis magnæ ratio, cui modum statuet ingenuæ mentis decus, ac devota modestia; quæ supra sortem assumi, nihil omnino patietur; ita ut nihil in eâ lautum sit ac molle, nihil artificio exquisito structum, nihil umbilicis tumidum, nihil folicante copiâ superfluum, nihil ad sæculi elegantiam compositum; quivis enim vel in materiâ, vel in pretio ac nitore

tore excessus, potius ad probrum & dedecus, quàm ad splendorem & dignitatem facere videtur, cum omnibus à naturâ insitum sit, ea odisse ac damnare, quæ seu à personâ, seu à statu aliena judicantur.

Forma servetur laudabili cleri consuetudini ac dignitati consona & debita, qualis est oblonga & *TALARIS*, ea enim ex primæva Ecclesiæ institutione, ex Sanctorum Patrum placitis, ex Sacrosanctis Conciliorum Lateranensis sub Innocentio II. & Tridentini sess. 22. c. 1. de reform. Decretis introducta, laudata, confirmata, totque sæculorum usu comprobata, ac passim in Italiâ, Hispaniâ, Galliâ, Lusitaniâ, aliisque Regionibus usitata fuit. Hæc auctoritatem & reverentiam Sacerdotibus, atque Animarum Pastoribus conciliat; hæc jam olim à S. Basilio commendata fuit. Epist. 1. ad Grego. ubi ait. Tunica seu vestis *Talaris* cinctu appressa sit corpori & astricta: hæc dignitatem & sanctitatem sacerdotalem illis assidue ob oculos ponit, atque in officio continet, ne

modestiae limites transiliant; hæc tonsuræ præsertim & *Corona* [cujus pro dolor! hæc tempestate quosdam pudor occupat] aliisque insignibus clericalibus sociata, instar lorice est & galeæ salutis, quâ Ecclesiastici tanquam cataphracti Christi milites, contra quasvis mundi illecebras & tentationes tuti, securique procedant, ita ut nec mundus illos allatrare, nec quicquam pudori aut virtuti adversum ab iis efflagitare vel eblandiri præsumat; & quamvis id impudenter attentaret, ipsi tamen præfidiis hisce muniti, nisi frontem omnino exuerint, aut verecundiæ repagula penitus perruperint, indecorum quidpiam perpetrare non audebunt sacro horrore perculsi, ut experientia ipsa comprobat. Quare parum laudandi sunt illi, qui non clericali, sed sæculari curtoque habitu utuntur, non sine nævo aliquo aut probro sui ordinis: Quis enim Clericum, quis sacris initiatum agnoscat, in veste breviori & concisa quæ vix genua contegat? quis in thorace caligisque nudis, qualis etiam conjugato usui esse possint? nemo certè

certè, nemo unus, omnium, Clericum esse pronuntiârit, qui solis oculis credat: quî enim pronuntiaret? sanè ut ex velle-re ovis, & è plumis volucris, ita ex veste Clericus agnosci debet. Unde meritò laudabilis *nostra Confraternitas* optat ac desiderat, ut omnia ejus membra, de-centem hanc & convenientem *oblongam Talarémve* vestis formam suscipi-ant.

Color niger sit, *Nigra sum sed formo-sa* ait Sponsa l. c. Antiquitus Esseni, qui formam quandam religionis habue-runt, soliti sunt, ut ait Josephus albatî incedere; existimantes colorem hunc animi candorem, lætitiâque demon-strare. Verùm quia hic color Dynasta-rum erat proprius, omnium rerum abundantîâ, lætitiâ, gloriâ, felicitate florentium, sacro Clericali ordini visus est minùs esse consentaneus.

Quare niger hic color placeat, atque in ulu apud Clerum constanti remane-at; quem jam olim Clerici amplexi sunt, teste S. Athanasio, ac per tot sæculorum decursus ad Nos pervenit. Quin & ipse
S.

S. Augustinus fuscam vestem, quam nigellam vocat, fuisse insigne continentiam profitentium indicat. Color hic modestiæ significandæ opportunus, index est luctûs & pœnitentiæ. Visum est, ait *Petrus Gluniacensis*, ad S. Bernardum scribens, magnis Patribus illis, nigrum colorem, magis humilitati, magis pœnitentiæ, magis luctui convenire; Clerici enim mundo mortui, soli Christo Domino nostro vivunt & serviunt. Unde S. *Joannes Climacus* gradu 7. col. 2. ait: Ipsum quoque indumentum tuum te ad exercitium luctûs hortatur: omnes enim qui mortuos lugent, nigris vestibus operiuntur. Idem confirmat S. *Hieronymus* in Epist. ad Marcellam & alibi, dum vestem fuscam seu pullam, mundo mortuis in usu fuisse insinuat.

Reverendissimi, Admodum Reverendi Domini Confratres; quidquid aliî, minùs laudabiliter faciant, Nos à majorum consuetudine non degeneremus; materiam formam, colorem vestis à scripturâ sacra, Conciliis ac patribus commendatam constanter usurpemus:

hâc

hâc ratione authoritatem , reverenti-
amque Ordinis Ecclesiastici probè tue-
bimur , nec non , humilitatis, modestiæ,
luctûs , mundique contemptus speci-
men cunctis ad ædificationem exhibebi-
mus : atque à tentationibus ac vanitati-
bus mundi securi munitique persiste-
mus.

C A P U T II.

D E MORIBUS SACERDOTA- LIBUS.

Altera Encomii Sponsæ pars est ,
quòd licet nigra exterius videatur,
simul tamen sit *formosa* interius : id
quod omnibus quoq; & singulis mem-
bris suis optat & vovet *Confraternitas*
nostra: Nigra sint vestibus, formosa
moribus, quibus non mundo, sed Deo
& proximo propter Deum, placere stu-
deant.

Mores ejusmodi Clero dignos præ-
scribit & exigit à Sacerdotibus & vel
maximè ab Animarum curatoribus .
Con,

Concilium Tridentinum sess. 22. c. 1. de reform. ubi ita loquitur : *Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque rebus omnibus nil nisi grave moderatum ac Religione plenum prae se ferant: levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.*

Idem sess. 24. c. 12. de reform. monet. *Vestitu insuper decenti, tam in Ecclesiâ, quàm extra assidue utantur: ab illicitis venationibus, aucupis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant, atque eâ morum integritate polleant, ut merito Ecclesia Senatus dici possint.*

Ut autem ea, quae laudabiliter sancita sunt, effectum sortiantur, Idem Concilium Episcopis praescribit; ut & ipsimet morum exemplo praeluceant, & subditorum mores distortos emendent; Et primo quidem sess. 25. in Decreto de reform. c. 1. sic legimus: *Episcopi imprimis ita mores suos componant, ut reliqui ab eis, fragilitatis, modestia, continentia,*

ac quæ Nos tantopere Deo commendat
 sanctæ humilitatis exemplar, petere pos-
 sint. Quapropter exemplo Patrum nostro-
 rum in Concilio Carthaginensi, non solum
 jubet, ut Episcopi modestâ suppellectili
 mensâ ac frugali victu contenti sint, ve-
 rum etiam in reliquo vita genere, ac tota
 ejus domo caveant, ne quid appareat,
 quod à sancto hoc instituto sit alienum,
 quodque non simplicitatem, Dei zelum,
 ac vanitatum contemptum præ se ferat.

Si hæc à magnis Episcopis & Diocæ-
 sium ampliarum Præsulibus, quid à Sa-
 cerdotibus ac Pastoribus inferioribus
 Synodus sancta requiret? Illa sane de
 his quoque sensum suum mox subtexit,
 inquiens *Quæ vero de Episcopis dicta
 sunt, eadem de quibuscunque beneficiis
 Ecclesiastica obtinentibus, pro gradus
 sui conditione, observari decernit.*

Pro correctione vero subditorum ea-
 dem Synodus Episcopis injungit se-
 quentia sess. 14. in præmio Decreti de
 refor. *Cum proprie Episcoporum munus
 sit subditorum omnium vitia redarguere,
 hoc illis præcipue cavendum erit, ne Cle-*

rici

rici praesertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam ipsis conniventibus ducant: nam se eos pravis & corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent? monebunt proinde Episcopi suos Clericos in quocunque ordine fuerint, ut conversatione sermone & scientia, commisso sibi Dei populo praecant, memores ejus quod scriptum est: Sancti estote quia & ego sanctus sum Levit. 11. & juxta Apostoli vocem I. Cor. 6. nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se, sicut Ministros Dei, ne illud Propheta dictum impleatur in eis: Sacerdotes Dei contaminant sancta & reprobant legem. Ezech. 22. Sophon. 3.

Quod si haec à Conciliis Decreta, tum ab Episcopis tum à Clericis sanctè serventur, hoc pacto ut ait S. Bernardus Epist. ad Henricum Archi-Episcopum Senonensem. Erit honorabile ministerium eorum, illudque honorificabunt, non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis aedificiis, sed ornatis moribus, stu-

diis spiritualibus , operibus bonis. Deinde Deo sibi que commisso populo Deum timenti placebunt , licet mundo ejusque vanitatibus ac illecebris deditis , fortasse displiceant , ut rectè l. c. Doctor mellifluus monet. *Tu inquit Sacerdos Altissimi , uni ex his placere gestis ? mundo an Deo ? Si Mundo , cur Sacerdos ? si Deo , cur qualis populus talis Sacerdos ? nam placere vis mundo , quid tibi prodest Sacerdotium ? non enim potes duobus Dominis servire : qui autem vult amicus esse mundi , inimicus Dei constituitur. & Propheta : Deus inquit dissipabit ossa eorum qui hominibus placent , confusi sunt quoniam Deus sprevit eos. & Apostolus Si hominibus placerem Christi servus non essem.*

His ita quasi in genere de moribus Ecclesiasticorum declaratis atque expositis , desideratis fortasse , Reverendissimi , Admodum Reverendi Domini , ut quædam de Moribus Clero dignis enucleatiùs , atque in particulari proferamus , & in memoriam revocemus , quo quilibet in eorum studium alacriori mente

mente incumbat. Si id placeat prænotandum & recolendum ex Doctore Angelico 1. 2. q. 58. a. 1. *Quod mos duo significet, consuetudinem scilicet & inclinationem naturalem, aut quasi naturalem, ad aliquid agendum. Deinde quod consuetudo, quodam modo vertatur in naturam, inclinationemque naturalissimam efficiat.* Atque inde virtus moralis à more nomen traxit, ex quâ D. Thomæ expositione liquet, mores Ecclesiasticos, aliud haud esse quàm consuetudines & inclinationes ad rectè agendum juxta statûs sui exigentiam, sive virtutes morales, ad Cleri perfectionem requisitas, eumque ad actiones Ecclesiasticas pias, virtuosas, sanctasque inclinantes, quales censentur sequentes.

I. Prima virtus, mos, consuetudo, Inclinationo Sacerdote aut Clerico digna & ante omnia necessaria est *CASTITATIS*: sine quâ cuncta ejus opera luto infixa & sordibus quodammodo conspurcata sunt. Hæc autem inclinatur i. ut Clericus non solum corpus à pollutione carnali custodiat, verum etiam Animam

concupiscentia carnali mundam conservet. 2. inclinatur in media puritatis, qualia sunt victus parcitas, cultus vilitas, corporis incommoditas, & fuga loci ac temporis impudicitiae opportuni: deinde sensuum omnium, visus in primis & tactus, diligentissima refrigeratio, cordisque à vanitatum illecebris, cogitationibus & delectationibus subtractio: denique Christi Domini, Beatissimae Matris ejus, Apostolorum plurimorumque Episcoporum & Sacerdotum sanctitate illustrium in angelica puritate imitatio.

II. Secunda Virtus, Mos, Consuetudo & Inclinatio Clerici, priori subserviens, & quasi Anima Cleri est *PIETATIS ac verae devotionis*; quae precibus, psalmis, hymnis Dei laudibus & alloquiis jugiter insistere, & meditationibus contemplationibusque rerum caelestium divinarum & aeternarum sedulo vacare delectetur & inclinetur: *Gustato enim spiritu desipit omnis caro*, ut ait S. Bernardus, cui consentit S. Gregorius discurrens: *Qui terrenarum rerum amore*

more vincitur in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione Anima nunquam potest: nam aut infimis delectatur, aut summis: & quanto altiori exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infima: quantoque acriore cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit à summis: utraque enim simul & equaliter amari non possunt.

III. Tertia Virtus, Mos consuetudo & inclinatio Clero digna utrique præcedenti opem ferens viresque ministrans est *Temperantia, Abstinencia & Sobrietatis*, quæ eum inclinât, ut affectiones & passiones internas, motus & actiones externas, intellectum & voluntatem, linguam, victum, vestitum, somnum, aliâque secundum rectæ rationis & virtutis præscriptum moderetur; omnia in mensurâ, numero & pondere ordinet, iuxta dispositionis divinæ exemplum: ita ut, quemadmodum S. Albertus M. in paradiso suo loquitur, *Omnis actio nostra, mores & vita sit mensurata, numerata, & ponderata: Hoc est in virtute patris, cui mensura, in virtute filii, cui*

M 4 numerus,

numerus, in virtute Spiritus sancti, cui pondus adscribitur: Omniaque sine superfluitate, sine inordinatione, sine inquietudine & perturbatione à nobis peragantur.

IV. Quarta Virtus mos, consuetudo & inclinatio omni Clerico & Sacerdoti apprimè conveniens est *HUMILITATIS*, exemplo Christi Domini Sacerdotis summi, verbo & exemplo eum docentis: *discite inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde*, Matth. 12. Hæc virtus virum Ecclesiasticum inclinet, ut vilitatem, fragilitatem, & nihilum suum identidem sibi ob oculos ponat, gloriam sibi exhibitam contemnat, nec exhibendam appetat, nullum omnino nisi se solum spernat, nulli penitus se anteponat, intimè penetret, quod per se nullam tentationem vincere, nullum opus bonum sine gratia Dei, exercere valeat, infimum locum & officium quantum fas est, quærat, Deo, non hominibus, unice placere desideret, potius subesse quàm præesse eligat, soli Deo gloriam omnem tribuat, se verò despici
&

& contemni ex animo appetat & gaudet, Christi Domini sui exemplo: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta.* Hebr. 12. 2. Hac viâ *Humilitatis* Magistro Jesu Christo crucifixo similis & concors evadet, ac requiem Animæ suæ inveniet.

V. Quinta Virtus, Mos, consuetudo & inclinatio Sacerdotis Ecclesiastici est *Mansuetudinis*, quæ eum inclinet ac moveat, ut propter illatas sibi injurias nulla eum amaritudo mentis exacerbet, nullus rancor aut ira eum afficiat, sed omnia æquanimiter sustineat: non irretet, nec irretetur, non noceat nec nocere cogitet, non mordeat, nec mordentes verbis remordeat, sed malis moribus dominetur, & animum Deo quietum semper reservet. Tales enim *Mansueti hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* psal. 141.

VI. Sexta Virtus, Mos, Consuetudo & inclinatio Sacerdotis Ecclesiastici est *contemptus mundi* & omnium vanitatum ejus; qui eum inflectat, ut omne Regnum mundi, & omnem ornatum

M s

sa-

ſæculi deſpiciat , propter amorem Do-
 mini noſtri Jeſu Chriſti, in cujus Clerum
 & ſortem transcriptus eſt , & mundi re-
 bus temporalibus , divitiis , pompis , di-
 gnitatibus , prælaturis cor non affigat ,
 ab amicis ſeſe abſtrahat , nec generis no-
 bilitatem æſtimet , nec carnis voluptates
 quærat , nec opes appetat , nec culmen
 honoris ambiat , nec ſæculi blanditiis
 mulceatur , nec minis potentum terrea-
 tur , nec vituperio aut laude humanâ
 moveatur , ſed cum Apoſtolo , *Omnia
 arbitretur ut ſtercora ut Chriſtum lucrifaciat.* ad Philip. 3.

VII. Septima Virtus, Mos, Conſuetu-
 do & inclinatio Sacerdotis Eccleſiaſtici
 eſt *Miſericordia* , quæ ex priore oritur ,
 eumque inclinat , ut in dando condo-
 nando & ſupererogando beneficium ſe
 exhibeat , buccellam ſuam ſolus non co-
 medat , indigentibus pro poſſe, neceſſa-
 ria ſubminiſtret , injuriam læſus remit-
 tat , non vindicet ; maledictionem pro
 maledictione non reddat , ſed malum
 in bono vincat , cujuſvis neceſſitatem
 pro viribus ſublever , ſecundum Chriſti
 Sal-

Salvatoris nostri consilium : *Euntes autem discite, quid est Misericordiam volo & non Sacrificium* Matth. 9. & *Judicium sine Misericordia illi, qui non facit Misericordiam.* Jacobi 2. 13.

VIII. Octava Virtus vel maxime necessaria Sacerdoti Ecclesiastico non quidem Moralis sed Theologica est *CHARITAS erga Deum*, quæ eum moveat & inclinet, ut Dominum Deum suum ex toto corde, animâ, mente & virtute diligat, idque non pœnæ metu, aut præmii sivè temporalis sivè æterni Spe, sed solum propter ejus summam & infinitam bonitatem, potentiam, Sapientiam, benignitatem, pulchritudinem, providentiam, & dilectionem erga nos æternam, immensam & fidelissimam: Verum non corde tantum vel ore diligat, sed opere etiam & veritate dilectionem demonstret: ut enim docet S. Gregorius *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* Itaque mandata ejus fervet, vota impleat, Deum laudet, revereatur, colat, eique fideliter ex timore serviat, *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est,*

qui diligit me, Joan. 14. Et de dilectione Conditoris subjungit dictus S. Gregorius : *Lingua, mens, & vita requiruntur, nunquam est amor Dei otiosus operatur etenim magna si est, si vero operari renuit, amor non est.*

IX. Nona Virtus, habitus, consuetudo & inclinatio Sacerdotis Ecclesiastici est *Charitatis & dilectionis proximi*; quæ eum inclinet & inducat ut proximum suum, amicum & inimicum amet sicut seipsum, id est juxta expositionem Divi Augustini, ut *eum in Deo, ad Deum & propter Deum diligit*, ita ut, sicut unusquisque bonum proprium in corpore & Anima in rebus & honore diligit, sic diligit & proximi: & sicut unusquisque in prædictis omne malum ac damnum odit & fugit, sic pariter & proximi, tam amici, quam inimici, malum oderit & fugiat: nam amantem solum diligere, naturæ est, non meriti, non amantem verò diligere, gratiæ est, & eundem beneficiis ad amorem attrahere perfectionis est. Quare *Sacerdos Christi exemplo, tam amico, quam inimico in adversis*

con-

condoleat , in prosperis ex corde con-
gaudeat , & gratuletur. Contraria verò
odii signa , veluti remis velisque refugi-
at ; qualia sunt , si cum gravitate mentis
de proximo cogitet , cum tristitia cordis
eum videat , cum amaritudine animi ei
loquatur , aut loqui audiat , bonum ejus
pro viribus impediatur , diminuat , per-
vertat. *Qui non diligit manet in morte. I.*
Joan. 3. 14. Hæc dilectio est genuina
tessera & nota filiorum Dei & discipu-
lorum Christi : *In hoc cognoscent omnes
quòd discipuli mei estis si dilectionem ha-
bueritis ad invicem.*

X. Decima Virtus habitus , consuetu-
do & inclinatio Sacerdoti Ecclesiastico ,
& in primis Parocho necessaria est *Zeli*
animarum ; qui eum inclinat ac permo-
veat ; ut meditationibus sanctis , ferven-
tibus desideriis , lachrymis , orationibus ,
vigiliis , jejuniis , prædicationibus , ex-
homologesibus , consiliis , doctrinâ , at-
que aliis operibus bonis , pro salute ani-
marum laboret ; exemplo Christi Do-
mini , tanto fervore peccatorum con-
versionem , ac bonorum perfectionem

fitientis, quærentis, circumeuntis, su-
 dantis, patientis, atque in Cruce mori-
 entis. Purus hic & sincerus *animarum*
zelus Christi & Apostolorum exemplo,
 Sacerdotem inflectat; ut nec lucrum re-
 spiciat, nec munera quærat; nec com-
 modis inhiet, nec honorem ambiat, nec
 propriam delectationem in zeli actioni-
 bus intendat imò nec labores, nec ærum-
 nas, nec adversitates, nec corpus, nec
 vitam propriam curet; ut plures animas
 Christo lucrifaciat, cum Apostolo asse-
 rens; *Ego autem libentissimè impendam*
& superimpendar ipse pro animabus ve-
stris. 2. Corinth. 12. Quàm verò grata
 Deo accidant hæc zeli opera, testatur
 S. Dionysius Areopagita, S. Chryso-
 stomus, S. Gregorius l. 1. in Ezech. homil.
 12. *Nullum quippe omnipotenti Deo tale*
est sacrificium, quale est zelus animarum.
 Ex quibus operibus, veluti concatena-
 tis, universa Pastoris vita contexta est;
 sive studeat, sive celebret, sive catachi-
 zet, sive prædicet, sive ægros invisat,
 sive Sacramenta administret. O quanta
 Sacerdotis felicitas! quanta seges meri-
 torum!

torum! quot occasiones coronarum cœlestium!

Atque hi præcipui sunt (omissis prolixitatis vitandæ gratia aliis) mores Sacerdote Ecclesiastico, & quovis Clerico digni, ejusque statui in primis convenientes ac necessarii, ut munere suo cœlesti ac propè divino rite perfungatur. Quibus si careat, larva & idolum Sacerdotis & Pastoris est; vel ipso ejus nomine indignus; quibus si clareat, Deo optimo maximo & proximo suo placebit, nomen & omen viri Deo sacrati & sancti sustinebit; maximamque auctoritatem, reverentiam, & fructum animarum ad majorem Dei gloriam reportabit.

Quæ cum ita sint *Reverendissimi, Admodum Reverendi ac Venerabiles Domini*; ut Confraternitas nostra laudatissima, instar Sponsæ in Cantico laudatæ, *nigra sit & formosa*, Deoque ac proximo gratissima, duo explicata Canonis puncta fideliter observare conemur.

I. Decernamus, firmiterque statuamus, habitu nigro, communi, simplici,
ho-

honesto & modesto , ut cœpimus, constanter uti : hoc enim, ut vidimus, à Nobis Scripturæ divinæ oracula exposcunt; hoc Conciliorum Oecumenicorum decreta sanciant; hoc sanctorum Patrum monita requirunt ; hoc rationum momenta valida exigunt atque evincunt. Mundo mortui, foro exempti, ac in Clerum sortemque Domini translati sumus; sæculo & pompis ejus renunciavimus ; quid igitur nobis cum mundo & vanitatibus ejus ? Quid gloria ejus inanis ? quid fluxa ejus delectatio nos titillat ? Sacerdotes Dei sumus servitio ejus mancipati, cur igitur nugas profanas quilibetque non spernimus? Pastores animarum à Deo constituti sumus ; igitur ne ventis & umbris inanissimis nos pacamus. Nunquam induci nos sinamus, ut vel à materia , vel forma, vel colore vestis Clericalis exorbitemus ; nunquam in vestitûs materia aut pretio excedamus ; nunquam formam inusitatam, peregrinam & sæcularem ambiamus , aut curtas conjugatorum vestes portemus ; sed *TALARI* in aliis regnis & Provinciis

cuis

cuis consuetâ, contra tentationes muni-
 ente, reverentiâque debitam concili-
 ante induiti incedamus: Colorem quo-
 que aureum, cæruleum, rubicundum,
 aliôsque sæcularibus familiares, aut mi-
 litares refugiamus, & nigrum luctûs &
 pœnitentiæ indicem, perlibenter geste-
 mus, hoc pacto, Confraternitas nostra
nigra erit, sed formosa, nigra exteriùs,
 interiùs candida & venusta, ac Deo uni-
 cè chara, grata atque accepta.

2. Studeamus *placere non vestibus,*
sed moribus, ut Canon præsens Nos do-
 cuit; qui animam mirificè exornant, at-
 que apud Deum Angelos & Sanctos no-
 bis gratiam conciliant. Mores Clero di-
 gni, sunt actus & virtutes morales, quæ,
 consuetudine & inclinatione acquisitâ,
 ad varia bonorum operum exercitia mo-
 vent, & excitant; quales sunt Castitas
 angelica, unicè Clero necessaria; pietas
 ac devotio tenera; Temperantia, absti-
 nentia & sobrietas exacta; humilitas,
 animique demissio profunda; mansue-
 tudo agnina, verus mundi contemptus,
 misericordia larga ac benefica. Charitas
 in

in Deum flagrans & propè seraphica ,
Charitas in proximum plus quàm pa-
terna & materna, Denique zelus anima-
rum infatiabilis & infatigabilis, exem-
plo Christi Domini Apostolorum, alio-
rumque Sacerdotum & Clericorum
sanctitate eminentium.

Atque hæc est vestis Sponsæ variegata
& polymita; deaurata & nuptialis; ex
omnium morum optimorum filis virtu-
tūque floribus contexta: quā si in hora
mortis ac supremo iudicii die exornati à
Christo iudice inventi fuerimus, ad
nuptias cœlestes, felices terque beati
admittemur: quod si verò veste peregrina,
vanâ, mundanâ contecti, & insuper
atro tetro æthiopibus stygiis simillimo
vitiōrum luxuriæ, superbiæ, avaritiæ, in-
vidiæ, iræ, gulæ & acediæ centone de-
honestati, ac sordidati comparuerimus,
cum fatuis Virginibus audiemus, *nescio*
vos, clausa est janua cœlestis patriæ, fe-
licitatis perperuæ, & beatitudinis æter-
næ; quæ semel clausa, semper clausa,
nullis annorum millionibus, nullis sæ-
culorū revolutionibus, nullis perenni-
tatis cyclis, unquam ampliùs referabitur.

CANON

CANON X.

*IN omni convivio Sacerdotali lectio
Sacra admisceatur.*

EXPOSITIO

QUANTUM, ad vitam Clero dignam, instituendam, juvet & conferat, Sacerdotii dignitatem intimè cognoscere; ejusque excellentiam, æquâ bilance ponderare, D. Ambrosius in Libro de dign. Sacerd. perspicuè insinuat, dum ait: *Dignum est, ut dignitas Sacerdotalis prius cognoscatur à nobis, deinde servetur à nobis; ut Psalmographi sententia queat repelli à nobis: Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ne id nobis eveniat, in convivii præsertim, ubi majora imminent pericula: cognoscant ante omnia, singuli è nobis, dignitatem suam; sciântque esse se, *Christi Domini adjutores* I. Corinth. 3. in procuranda salute animarum. Esse se.

se Salvatoris nostri Alegatos, pro ipso
 legatione fungentes. 2. Corinth. 5. Esse
 se, Divinorum mysteriorum, seu Sacra-
 mentorum, dispensatores. 1. Corinth.
 4. Dei homines. 1. Tim. 6. Angelos. 1.
 Corinth. 11. Christi amicos. Joan. 16.
 Ejusdem Fratres. Joan. 20. Quin &
 Deos. Ego dixi: Dii estis, & filii excelsi
 omnes. Psal. 81. Deos, inquam, non
 communicatione naturæ; sed imitatio-
 ne virtutis, & potestatis participatione.
 O quanta dignitas! Quanta statûs Sacer-
 dotalis super alios eminentia!

Sed audiamus quoque Sanctorum
 Patrum eadem confirmantium ac dilu-
 cidantium testimonia: ut magis in æsti-
 matione sublimitatis nostræ roboremur.
Sacerdotium, inquit S. Chrysoft. L. 1.
 de sacerd. c. 3. *In terris quidem peragi-
 tur: sed in cœlestium classem, ordinem-
 que referendum est.* Addit S. Clemens
 in consist. Apost. L. 2. c. 34. *Quantò a-
 nima præstantior est corpore: tantò est Sa-
 cerdotium regno excellentius:* Sanctus
 verò Ignatius M. Epist. ad Smyrn. *Sacer-
 dotium, omnium bonorum, quæ in homi-
 nibus*

nibus sunt, apicem nuncupat. Cui consentit S. Gregorius L. 14. Moral. c. 10. Ubi *Sacerdotes primam & nobilissimam, membrorum Christi Domini partem esse, pronuntiat. Accedit hisce S. Prosper L. 2. de vita act. c. 2. asserens: Sacerdotes sunt Ecclesie decus, in quibus amplius fulget Ecclesia: ipsi janua civitatis aeterna, per quos omnes, qui credunt in Christum, ingrediuntur ad Christum: ipsi janitores, quibus claves date sunt regni caelorum: ipsi etiam dispensatores regia Domus.* Hujusmodi & alia quam plurima, de Sacerdotii praestantia, exhibent nobis, Sanctorum Patrum volumina. Sed quorsum tam prolixè hæc omnia? Quia *dignum est, ait Ambrosius, Ut dignitas Sacerdotalis prius cognoscatur à nobis, ac benè penetretur: deinde ut servetur à nobis: id est, ut dignitati tantæ probè cognitæ, & perspectæ, vita non dispar respondeat: tantum splendorem, morum turpitude non obfuscet: statum Angelicum, ac propè divinum, gestus inconditi, actusque belluini in cibo potuque sumendo, potissimum; non contaminent atque defœdent.* Si

Si enim Sacerdotes, unà cum operibus suis tanquam arbores cum fructibus, Deo oblati, consecratique existunt: dignum omnino & æquum est; ut non modo in eorum sacrificio & psalterio: in precatatione & prædicatione, aliisque spiritualibus; verùm etiam in corporis refectione, in quolibet convivio prandio, cœna, cæterisque adiaphoris, peculiari modestia, temperantia, decor, & quidam pietatis, perfectionis, & sanctimonix nitor effulgeat; ne aliàs honoris ac dignitatis suæ obliti, comparentur jumentis insipientibus; & gulâ, crapulâ, ebrietate, cupiditateque indomitâ, prædominante, similes, imò deteriores illis evadant:

Ad hoc cacoëthes, si fortassis alicubi invaluit, abolendum; Confraternitas nostra celeberrima; brevẽ sed efficacem Canonẽ decimũ suppeditat; ut nimirum *In omni convivio Sacerdotali, lectio sacra misceatur.* Ubi primo Nomine *Convivii* non solùm multorum convictum & epulum, veluti in primitiis & agapis; in encæniis & patrociniis; verùm etiam *Canonici & Vicarij, Parochi & Sacella-*

ni inter se, vel cum Domesticis, vel etiam se solis prandium, cœnàmque complectitur.

2. Nomine *Convivii Sacerdotalis*; convivium Sacerdotibus dignum atque conveniens, & nihil à sacris personis, alienum admittens, intelligit.

3. Nomine autem *lectionis sacræ*; non accipit recitationem librorum, fabulis, nugis, ludicrisque facetiis res persorum, aut historias merè profanas recensentium fastorum; sed lectionem, piam, sanctam, ad ædificationem, perfectionem & salutem propriam, alienamque directam; pro quâ sacrarum literarum monumenta; Martyrum, aliorumque Divorum heroica facinora; & cætera Sanctorum Patrum & Ascetarum illustrium, spiritualia opuscula, uberem materiam suggerunt.

Hujusmodi igitur convivium Sacerdotale, puncta quaterna non solum veluti ornamenta; sed etiam necessariò requisita videtur exigere; quæ si defecerint, non Sacerdotale; sed sæculare, profanumque mundi assecularum convivium,

vium,

vium , jure reputabitur. Qualia sunt mensæ benedictio, frugalitas, temperantia, & lectio sacra. Quæ expositione præsentis duximus declaranda.

C A P U T I.

*De benedictione mensæ Sacerdotalis,
& gratiarum actione.*

Primum, quod Sacerdotibus, in refectione corporis, omnique convivio, observandum venit; est mensæ benedictio: ne sine precatioe, ac mentis in Deum, liberalissimum bonorum omnium largitorem, elevatione, velut animantia bruta, ad pastum proruant; aut Nobilium quorundam more, absque crucis venerandæ signo & vix obiter ac præcipitanter, recitatâ oratione Dominicâ, ad mensam properent: sed pietate, attentione, devotione, ac reverentiâ eximia preces consuetas, in mensæ benedictione, persolvant.

Communissimum verò hunc mensæ benedicendi, gratésque piè referendi ritum;

tum; quisnam luculentius docuit; quàm ipse Salvator noster Jesus Christus ? Dum enim quinque panibus, & piscibus duobus, quinque hominum millia, exceptis mulieribus & parvulis, refocillaturus esset. ut innuit sacer textus: *Aspiciens in celum, benedixit, & fregit, & dedit*, Matth. 15. 19. *Acceptit Jesus panem, & cum gratias egisset, distribuit*. Joann. 6. 11, More enim suo, prius Patri gratias egit, ac deinde panes benedixit. Non absimili phrasi, Evangelistæ Marcus & Lucas utuntur Marci 6. 41. Lucæ 9. 36. Similia eum observasse legimus, dum panes septem multiplicaret. Marci 8. dum cum discipulis duobus in Emmaus, mensæ accumberet; & dum Eucharistiam sacrosanctam instituturus, benedictionem impertiret; cœnâque peracta, & *hymno dicto* Matth. 26. 30. (aut decantato, ut exponit S. Augustinus in psal. 72.) in montem Oliveti, passionem suam auspicatorum exiret. An non præclarissimo hoc Redemptoris exemplo discimus, nec sine benedictione, ad prandium cœnâque accedere; nec

N

abs-

absque gratiarum actione ab iis pedem referre?

Equidem non arbitramur è Confraternitate nostra laudabili, quinquam esse, qui antiquissimum hunc ad mensam precandi morem, pietatis defectu, transfiliat: præsertim cum authores nonnulli Apostolicam traditionem; Sanctus Chrysostomus legem Apostolicam, Ambrosius Catherinus Doctrinam & traditionem Dominicam, Tertullianus præsertim consuetudinem Christianam esse, asseveranter affirmant: quæ & insuper lege Ecclesiasticâ, in Concilio Nannetensi & aliis non semel statuta fuit: adeoque sunt ex Theologis, qui non absque delicti venialis noxâ negligi asserant. At hoc solum hortamur atque optamus, ut quotquot Confraternitatis nostræ albo inserti sunt eâ, quâ par est, pietate, ac devotione, Deo laudes & grates persolvant, quò fructus illos multiplices reportent, quos sancti Patres commemorant. Sed quosnam illos?

I. Primus benedictionis mensæ fructus est cibi, potusque, quem sumpturi sumus,

sumus, sanctificatio; quemadmodum ex verbis Apostoli 1. Tim. 4. 4. colligitur. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Quem Apostoli locum, multi Patres & nobiles Interpretes, de mensæ benedictione intelligunt. S. Anselmus in dictum locum scribit: *Sanctificatur cibus ipse per verbum Dei, quod est in actione gratiarum, & oratione, quæ adjungitur, ne Diabolus per eum noceat.* S. Athanasius in Reg. Virg. *Cibus tuus, ait, & potus tuus, sanctificatus est: per preces enim & sanctiora verba sanctificatur.* Et Origenes Author antiquissimus l. 8. adversus Celsum: *Ubi gratias egimus, pane vescimur, qui utique oratione & precibus, sanctum quoddam corpus conflatur; quod sanè sanctiores hos reddit, qui mente integriore hoc ipso utuntur.* Quæ verò devotione, gratiæ illæ reddendæ sint, Idem L, 3. in Job, insinuat: *Cum manducamus & bibimus; fidei memores fuerimus, si terribile nomen ejus invocaverimus, si nosmet-*

ipsos, vel cibum & potum nostrum, signa
venerabilis crucis Christi signaverimus
si ad cœlum oculos nostros levantes dica-
mus: Qui das escam omni carni, das etiam
cum benedictione hunc cibum sum-
re. Ita Origenes, qui tertio, post Chri-
stum natum, sæculo, floruit.

2. Alter benedictionis mensæ fructus
est, sanitas corporis, omnisque male-
fici, ac nocuenti, à Dæmonibus, aut
magis corpori humano inferendi, de-
pulsio. S. Chrysostomus de oratione
post mensam, exemplo Annæ Matris
Samuelis, instituenda, loquens, sic in-
quit: Ubi precatio & gratiarum actio, et
Spiritus sancti advenit gratia: Dæmones
abiguntur, & omnis adversaria potestas
diffugit. Idem confirmat pauló ante ci-
tatus Origenes l. c. de benedictione men-
sæ agens: Si dixerimus, cum sinceritate
ad Dominum nostrum: Tu Domine dixi-
sti: quia si mortiferum aliquid biberimus
tuum invocantes nomen, non erit mol-
estum. Tu itaque Domine virtutis & glori-
æ, averte veneficam & inquam operati-
onem à nobis, & ab omnibus cibis nos-
tris:

*stris: nisi enim tua misericordia conser-
vaverit: quomodo possumus effugere tan-
ta pericula ciborum sanè ac potuum, quæ
frequenter plùs repunt ac serpunt, quàm
maligna & venenosa bestia?*

3. Tertius benedictionis fructus est;
incolumitas animæ, cupiditatis inordi-
natæ repressio, diabolicæque impugna-
tionis repulsâ; ne scilicet hostis stygius
tentationibus suis nocumentum afferat,
gulamque irritet, ut justam cibi potus-
que mensuram excedamus. Innuit hoc
S. Chrysost. l. c. *Hoc lucrum à foemina
(Anna Samuelis matre) Consecuti sumus
ut sciamus post convivium orare; quis-
quis enim ad hoc preparatus fuerit; nun-
quam in ebrietatem aut vinolentiam in-
cidet, nunquam edacitate distendetur:
sed quoniam expectationem orationis, ha-
bet pro fræno impositam animo, conveni-
enti mensurâ attinget, ex omnibus, quæ
fuerint apposita; multa que benedictione,
tum animam tum corpus implebit.*

Quare, Domini Confratres, si fru-
ctus hosce salutare nancisci cupimus;
Christi Domini nostri, priscorumque
Sanctorum exemplo, summâ, quâ pos-

N 3 sumus,

sumus, pietate, reverentiâ, gratique
 animi significatione, & antè, mensæ be-
 nedicamus, & post eam, liberalissimo
 Conditori grates maximas reddamus,
 qui tam largè aperit manum suam, &
 implet omne animal benedictione. O
 quantopere pietatem nostram acueret,
 devotionemque inflammaret, si tot be-
 neficiorum millia, quæ vel in unica pa-
 nis buccella, Deus O. M. nobis exhibet,
 crebrius per penderemus! Quis ad calcu-
 lum revocet, tantam beneficiorum mul-
 titudinem, quæ intervenit, in specierum
 frumenti, per tot annorum millia, de
 anno in annum, conservatione? Item
 in semente, in incremento, in pluvie
 irrigatione, in solis irradiatione, in venti
 agitatione in messe, tritura, pistura, ho-
 minumque ac jumentorum, ad ea coo-
 perantium conservatione, sustentatione,
 commotione; aliisque innumeris: quo-
 rum similia & in quovis vini ac cerevisie
 haustu; & in quovis, oleris, leguminis,
 pomi, carnis, piscisve bolo reperiuntur?
 O quam ardentem tam munifico largito-
 ri deceret referre grates! O si vel per ri-
 mulam

mulam intueri licuisset, quâ methodo, quâ modestiâ, quo devotionis interno fervore, & exteriore decore, Dominus noster Iesus, vel duodennis in Nazarethana Domo, vel postmodum maturæ ætatis, in grandi illo cœnaculo, mensæ benedictionem, & gratiarum actionem protulisset? Quis sensus, quæ admiratio, quæ pietatis, ac devotionis teneritudo, mentes nostras occupasset? O quid ergo nos tot obruti beneficiis, retribuemus Domino, pro omnibus, quæ retribuit nobis? *In omnibus gratias agite* 1. Thess. 5. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & super exaltate eum in secula.* Dan. 3. *Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in seculum misericordia ejus.* Psal. 106.

C A P U T II.

De frugalitate mensæ Sacerdotalis.

UT convivium, cœna, prandium, cujusvis, è Sodalitio nostro, presbyteri, Sacerdotale, id est Sacerdote dig-

num evadat, præter orationem & lectionem geminis instructum sit dotibus, necessum est? frugalitate nimirum & temperantiâ; de hâc sequenti; de illa capite præsentî agemus.

Mensam itaque frugalem dicimus, quæ non ciborum copiâ gravatur; non deliciarum & cupediarum varietate instruitur; sed cibus communibus, honestæ Sacerdotum sustentationi congruentibus, adornatur: in qua modestia observatur, lectio sacra haud intermittitur, quæ etiam non ultra modum, in horas complures protrahitur. Ejusmodi olim à primis Christianis convivia & prandia, agapæ dicta celebrabantur; quæ graphicè depingit antiquissimus Tertullianus, Apologetici c. 39. Cœna nostra, inquit, in nomine, rationem sui ostendit; vocatur enim AGAPY id est dilectio: quæ quantiscunque sumptibus constat, lucrum est, pietatis nomine, facere sumptum? siquidem inopes etiam refrigerio isto juvamus. Hæc nihil scurrilitatis; nihil immodestiæ admittit: non priùs discumbitur, quàm oratio ad Deum

Deum prægustetur : editur quantum esurientes capiunt, bibitur, quantum pudicis est utile : ita saturantur ; ut meminerint, etiam per noctem adorandum Deum sibi esse : ita fabulantur ; ut quisque, Dominum audire. Post aquam manualement & lumina ; ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur, in medium, Deo canere. Hinc probatur, quomodo biberit. Equè oratio convivium dirimit. Inde disceditur, non in catervas cæsonum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiae : ne qui non tam cænam cœnaverint : quam disciplinam. Hactenus Tertullianus, qui sæculo secundo, à partu Virgineo, vigit.

Verum unde tanta Christianis primævis victûs frugalitas ac parsimonia ; omnisque in mensa luxûs & redundantiæ fuga ? non alio, crediderimus, ex fonte, nisi ex Christi Domini, Sanctorumque Apostolorum traditione, & exemplo, quorum primitivus spiritus in

N 5 eorum-

eorundem pectoribus ad huc calebat.
 Ad Ducis exemplum miles: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Canit Claudianus. Quibusnam, igitur epulis, Rex noster in hac mortali vita recreatus fuit? profectó non delicatioribus & exquisitis, quas omnes reiecit, spreuit, contempsit, sed cibo vulgari contentus, fuit; nam, liberâ ipsius electione & providentiâ, non aliâ illi, in pueritia & adolescentia, epulæ sunt appositæ, quæ, quas mater inops, & nutritius faber lignarius, ex paupere penu, apponere solet: tempore autem prædicationis, non lautius quoque habitus fuit: tametsi enim oculos habuit, ac pecuniam nonnullam, à fidelibus oblatam, & Judæ tanquam Collegii Apostolici procuratori commissam in usus communes asservavit, nihil tamen ex ea desumpsit; nisi quod sibi & Apostolis, ad mensam frugalem, vulgaremque victum, necessarium foret: & quidem nonnunquam ita modicum; ut Apostoli præ fame *spicas vellerent*, & excerpta inde grana manducarent. Matth. 12. Quin & in peculii

peculii defectu, mulieres quædam devotæ, ipsum sequentes, ministrabant ei de facultatibus suis. Lucæ c. 8. Quales, ut S. Evangelista ibi recenset, fuere, *Maria Magdalena, Susanna, Ioanna uxor Chusa, procuratoris Herodis, & alia multa.* v. 3. Quæ cibo parabili, non epulis exquisitis ac sumptuosis, quas repudiabat, ipsum sustentârunt.

Missi deinde ad prædicandum per loca diversa Apostoli ac Discipuli Domini: vestigia Ducis ac Magistri legunt, nam rejectis lautitiis & deliciis; obviis, vulgaribusque escis, quæ civitates, oppida, pagòsve intransibus, & apud alios hospitantibus, offerebantur, contenti fuere; secundum Domini mandatum: *Comedite quæ apponuntur vobis.* Lucæ c. 10. 8. S. Paulus habens alimenta, & quibus tegeretur, his contentus erat. 1. Tim. 6. S. Matthæus Apostolus, teste Clememte Alexandrino L. 2. Pædag. c. 2. solis oleribus & pane vitam toleravit. S. Jacobus Frater Domini, vino & carne abstinuit, teste Egesippo. S. Evangelistæ Marci discipuli, pane, sale,

Hyssopo & aquâ contenti vixere ; ut refert Eusebius. l. 2. Hist. c. 22. Et S. Hieronymus de viris illustribus , probat ex philone. Horum porro vestigiis institerunt primi summi pontifices, Sanctitate conspicui, qui obviis escis, sibi à fidelibus oblatis acquiescebant? quales fuere S. Clemens, S. Pius S. Cajus, S. Marcellus & alij; quos S. Plautilla, S. Flavia Domitilla, S. Lucina, S. Priscilla, S. Pudenciana, S. Praxedis aliæque piæ matronæ, aut Virgines devotæ alebant: ut historia Ecclesiasticæ perhibent.

Ab his verò summis Ecclesiæ capitibus, ad Ecclesiæ primitivæ Clerum laudabilis illa frugalitas ac temperantia descendit & transiit, quæ in communibus quoque tricliniis (quorum in Cathedralibus æque, ac in Collegiatis Ecclesiis hodie extant vestigia) pluribus sæculis perduravit. Refulsit in eo, cum primis S. Augustinus Episcopus, de quo refert Possidonius in vita c. 22. *Eum mensam usum frugali & parcâ, quæ inter olera & legumina, aliquando carnes, propter hospites, & infirmiores quos-*

que

que contineret. Sanctus quoque Laurentius Iustinianus ad infulam Episcopalem euectus; ut cap. 5. vitæ describitur: *In mensa, non sordida; sed munda, cibo vulgari semper usus; amavit ova, quod & stomacho amica essent; & voluptatem non irritarent. Nihil appetere aut damnare solitus; quidquid apponeres sumere.* Eapropter Concilium Tridentinum, ut frugalitatem veterem, passim collapsam, erigeret, atque instauraret; sess. 2, de reform, Hortatur Episcopos, atque in illis, omnes quoque reliquos Ecclesiasticos, Prælatos, Pastores ac Sacerdotes, ut ad pristinam moderationem postliminio revertantur: verba ejus sunt: *Quoniam oportet Episcopos esse irreprehensibiles sobrios, castos, domui suæ bene præpositos, hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem, moderationemque ciborum.*

Exemplis hisce adèo illustribus, nec non documentis erudita, monitaque; unicè optat & hortatur, boni communis uorum amantissima Confraternitas nostra: ut quotquot in ea Sacerdotali

dignitate initiati sumus ; varium gula
 appetitum præ reliquis domare ac ra-
 tionis fræno cohibere; profusionem ni-
 miam, & ciborum redundantiam, cave-
 re nitamur : ne in quenquam nostrum
 intorqueri valeat , quod Innocentius
 Papa III. L. de contemptu Mundi 2. c.
 17. in gulosos depromit. *Gulosi non
 sufficiunt fructus arborum, non genera
 leguminum, non pisces maris, non bestia
 terra, non aves cæli: sed queruntur pig-
 menta, comparantur aromata, & nutri-
 untur altitia. Capiuntur ob escam qua
 studiosè coquuntur qua laute parantur,
 officio ministrorum: alius contundit &
 colat; alius confundit & conficit, & sub-
 stantiam vertit in accidens; naturam
 mutat in artem; ut saturitas transeat in
 esuriem: ut fastidium revocet appetitum,
 ad irritandam gulam, non ad sustentan-
 dam naturam; non ad necessitatem sup-
 plendam, sed ad aviditatem explendam.
 Caterum tam brevis est gula voluptas, ut
 spatium loci vix sit quatuor digitorum; spa-
 tium temporis vix sit totidem momentorum.
 Contemnitur mediocritas, & superfluitas
 affecta-*

affectatur, in diversitate saporum; in varietate ciborum; aviditas nescit modum, & varietas excedit mensuram: sed & mens gravatur, & stomachus turbatur, sensus opprimitur in illis, inde non salus & sanitas, sed morbus & mors. An non ista verè & eleganter Innocentius?

Sed absint illa à nobis, quàm longissimè D. D. Confratres; absit à nobis, irritare gulam, affectare superflua, ignorare modum, gravare & turbare stomachum, lædere sanitatem, accelerare mortem: quibus uni Deo vivere, servire ac placere in votis est. Absit ut Cleri primarii mensa Principum magnorum, copiam, varietatèmq; ciborum æmuletur: absit ut Cleri secundarii quadra Nobilium, sæculariumque Dominorum Dapes exquisitas sectetur: absit ut complurium horarum mora convivii nostris perperam insumatur, atque ita tempus nobilissimum à nobis dilapidetur. Ista enim si in convivia Sacerdotalia irreperent; metuendum sanè nobis foret, id, quod de sui ævi Clericis lamentatur

tatur

tatur S. Bernardus serm. 35. in Cantica.
*Inde, ait, Comessationes & ebrietates;
 inde cythara & lyra & tibia: inde redun-
 dantia torcularia, & promptuaria plena,
 eructantia, ex hoc, in illud: inde dolia
 pigmentaria inde marsupia plena. Prop-
 ter huiusmodi volunt esse Ecclesiarum
 Prepositi, Decani, Archidiaconi, Epis-
 copi, Archiepiscopi. Olim predictum est;
 & nunc tempus impletionis advenit: Ecce
 in pace amaritudo mea amarissima: ama-
 raprius in nece martyrum; amarior in
 conflictu hereticorum; amarissima nunc
 in moribus domesticorum, Quod à no-
 bis Altissimus, clementissimè avertere
 dignetur.*

CAPUT III.

De temperantia Sacerdotum in mensa.

ALtera comes convivii Sacerdotalis,
 frugalitatisque soror, est virtus
 temperantiæ, nullo unquam tempore à
 mensis nostris excludenda: si enim om-
 nes omnino Christianos monet Salva-
 tor

ror noster Lucæ c. 21. 36. *Attendite, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vite, & superveniat in vos repentina dies illa.* Quantò magis Ecclesiasticos in sortem Domini vocatos, & tanquam luminaria, in Ecclesiæ candelabro, locatos, attendere decet, ne graventur crapulâ & ebrietate, cum ipsi ad hoc electi vocati que sint, ut alios quoque verbo & exemplo, ab his vitiorum sordibus extrahant, & emaculent. Si S. Petrus Apostolorum princeps, omnes hortatur & rogat, ut hujusmodi desideria, brutalia comprimant, dum ait: *Charissimi, obsecro vos, tanquam peregrinos & advenas, abstinere vos à carnalibus desideriis, que militant adversus animam.* 1. Petri 2. Quantò magis abstinendum, cavendumque erit, in Clerum venerabilem adscitis, à mundo jam segregatis, Christi Iesu servis, & in Evangelium Dei vocatis, aut saltem Sacerdotali caractere inclytis; ut tanquam advenæ, in hoc mundi exilio, peregrinantes, desideria sua, non terrenis ac carnalibus facibus demergant

gant

gant; sed ad cælestes, æternasque delicias attollant? Si Paulus Doctor gentium, Romanos suos licet sæculares hortatur, ut *non in comessationibus & ebri-
ratibus non in cubilibus & impudicitis*, vitam suam mortalem ac brevem transigant, sed induant potiùs Dominum nostrum Iesum Christum. Ad Rom. 13. 13. Quantò magis, ab huiusmodi excessibus abominandis, alienos esse decet, Christi ministros, ejus Evangelii sacrosancti præcones; qui ejus insignia gestare, ejusdem vestibus, id est moribus ac virtutibus, sese exornare, adeòque Dominum nostrum Iesum Christum debent induere?

Quæ si præstiterimus, Domini Confratres, si sobriè, & quod inde sequitur, iustè & piè temperanterque in hoc sæculo vixerimus; qualia, quantaque nos bona & in hac, & in futura vita præstolantur? Nôstis ipsimet, audistis, legistis, Sanctorum Patrum volumina in laudes temperantiæ affatim excurrentium, pervolvistis; nec opus est, ut quis vos doceat; sed tamen nonnullorum vobis refri-

cari

carum memoriam, ut confidimus, haud
ægrè feretis.

Si igitur 1. ad implendas rite mune-
ris vestri Sacerdotalis aut pastoralis par-
tes, corporis vires, sanitatèmq; tueri,
ac morborum variorum colluviem ar-
cere desideratis; Temperantiæ & absti-
nentiæ alexipharmacum capessite *Ma-
ter sanitatis est abstinencia; Mater agri-
tudinis voluptas*, ait S. Hieronymus in
Epist. Et sapiens Eccli 37. 34. *In multis
æscis non deerit infirmitas; qui autem ab-
stinens est, adjiciet vitam.*

2. Si castitatis lilium, ut statûs vestri
exigit sublimitas & sanctitas, purum illi-
batumque conservare aveatis; tempe-
rantia & abstinentiæ sepimento eam
præmunite. Ut enim magnus docet Gre-
gorius L. 5. in Reg. c. 14. *Abstinencia
ciborum contra hoc vitium fortissima est:
si enim ignis libido est; subtrahis igni ma-
teriam, cum cibos subtrahis, & vinum
præsertim, in quo, ut est apud Apostolum,
luxuria est. Gregorio ad stipulatur S. Lau-
rentius Justinianus l. 5. de continentia:
Nunquam, ait; poterit ad decorem at tin-
gere*

gere

gere pudicitia, qui voracitati gula freno laxaverit: neque ardentis poterit concupiscentia stimulos inhibere: quisquis desideria gula arctare nequiverit, Interioris hominis castitas, virtutis hujus consummatione discernitur: nequaquam enim, cum robustioribus aemulis colluctari posse fidendum est; qui in leviori conflictu, conspicitur ab infirmioribus, parvisque superari.

3. Si in orationibus devotis, in meditationibus Sanctis; in hymnis & psalteriis, aliisque pietatis exercitiis, gustum spiritualem sentire, si solatia spiritus intima, ac super mel & favum desiderabilia (pietati parum, multum sensualitati addictis, incognita) delibare cupiatis: inordinatum, nimiumque erga voluptates hasce, cum belluis communes, affectum & inclinationem comprimite: nam *Animalis homo, non percipit ea quae sunt spiritus*. 1. Corinth. 2. 14. *Esse quidem, ait, S. Gregorius l. 18. moral. c. 61. Anima sine delectatione non potest: nam aut delectatur infimis, aut summis: Et quanto altiori studio exercetur ad*
summa;

summa ; tantò majori fastidio torpescit ad infima , tanto torpore damnabili frigescit ad summa. Hoc igitur consolationum cœlestium manna ; non datur , nisi consumptis antè Ægypti cæpis & allüs. *Absit enim , ut divina consolatio infundi debeat vasi inquinato.* ait Humbertus Epist. de 3. votis. Terrenæ autem voluptates inordinatè quæsitæ , aut amatae inquinant ; à cœlestibus avocant , consolationes divinas eliminant , oblivionem Dei inducunt , sterilitatem bonorum operum inferunt , & spiritualibus deliciis cor privant. *Delicata enim est divina consolatio , & non datur admittentibus alienam ;* inquit S. Laurentius Justinianus.

4. Denique si quis vitam ordinatam ; vitam moderatam , pacatam , tranquillam , vitiis vacuum , virtutibus ornatam , cœlestibusque charismatibus refertam exoptet , temperantiæ perfectæ virtutem obtinere satagat : nam ut asserit S. Prosper L. 2. de vita contempl. *Temperantia temperantem facit , abstinentem , parcum , sobrium , moderatum , pudicum ,*
castum ,

vacitum, serium, verecundum. Hec virtus si in anima habitat, libidines frœnat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intractos confusa ordinat, inordinata corroborat, cogitationes pravas removet, sancta inserit, mentem placidâ tranquillitate componit & totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit.

Quanta igitur temperantiæ excellentia ! quàm ingentia ejus commoda & emolumenta ! At quâ inquit quispiam, ratione ac via virtutem adeo nobilem, Sacerdotique necessariam, si eâ caream, adipiscar ? Responsio in promptu est: duplici enim potissimum instrumento comparatur; oratione & mortificatione assiduâ: *Petite & accipietis*, ait, *Salvator Lucæ c. 11. En orationem. Seatue culcrum in gutture tuo* ait Sapiens Proverb. 23 En abnegationem: serviet quoque plurimum, ac juvabit, semper ante oculos posita D. Augustini temperantiæ regula; ad quam velut ad amissim, omne convivium, & refectio corporis est dirigenda *Habet, inquit, vir temperans,*

in rebus hujus vite regulam, utroque te-
 stamento firmatam, ut eorum nihil dili-
 gat, nihil per se appetendum putet: sed ad
 vita hujus & officiorum necessitatē, quan-
 tum satis est, usurpet, utentis modestiā,
 non amantis affectu: lib. de moribus Eccl.
 21. Lessius de temp. l. 4. c. 2. docet ab
 Augustino aliisque Patribus, per *necessi-*
tatem, intelligi quoque utilitatem &
 convenientiam: Sumenda itaque est Re-
 gula temperantiæ, ex fine, ob quem illa
 usurpatur: hic autem est bona corporis
 valetudo, & mentis ad suas functiones
 idonea dispositio: Ob hanc enim cau-
 sam & non ob aliam, & quatenus ad
 hunc finem expedit, edendum & bibe-
 dum est, non amplius, non alio modo,
 nec etiam minus, nisi finis altior inten-
 datur; v. g. satisfactio pro peccatis. Ita-
 que qui plus bibit aut edit, aut sæpius,
 aut alio modo, aut res alias, quàm con-
 gruit valetudini & mentis functionibus,
 non servat temperantiæ regulam. Ita il-
 le. Sed eheu! quoties, prò dolor! à san-
 cta hac regula, in Germaniæ nostræ par-
 tibus, deflectitur? Quoties non necessi-
 tati,

tati, sed cupiditati servitur? Quoties autem bibendi, edendique libidine, aut amicorum gratiâ, sanitas pessundatur; moribus accersitur, mors ante tempus acceleratur? Quoties pauperibus quod nobis redundat, eripitur; Donum Dei per abusum corrumpitur; Deus O. M. offenditur: ac de omni cibo potuque superfluo, & noxio; potius quam de verbo otioso; iudici supremo ratio reddenda reservatur?

C A P U T IV.

De lectione mensæ Sacerdotalis.

AD gulæ appetitum intra temperantiae limites coërcendum, fabulæque & sermones otiosos proscribendum, plurimum valere, sacram mensæ tempore, lectionem, Sancti Patres, Ecclesiæque Doctores illi omnes censuere, quotquot eandem & ipsimet observarunt, & suis observandam præscripserunt. A quibus manavit pius, non Religiosorum duntaxat, sed etiam Ecclesiasticorum usus;

sus ; ut in convivio, cœna, ac prandio, caput è divinis scripturis ad mensam prælegatur, & prisco Patrum more, cibi sacrarum literarum dulcedine condantur. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* exclamat vates regius Psal. 118 103.

Hinc est, quod Concilium Tridentinum legitimè in Spiritu Sancto congregatum, mox initio, sess. 2. lectionem hanc seriò Episcopis, & in illis, reliquis quoque Clericis, commendet, hinc verbis: *Hortatur etiam, sancta Synodus, ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem, moderationemque ciborum: deinde cum in eo loco, saepe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum scripturarum lectio admisceatur.*

Exactè hunc morem tenuit S. Carolus Borromæus Mediolanensis Antistes, ad cuius mensam, ut refert Bellarminus de Gem. col. l. 2. c. 4. Non ut in aliorum convivii & cythara & lyra & tibia; sed sora scripturarum sanctarum verba sonabant, Eadem laudabilis consuetudo

○

in

in mensa S. Augustini Hipponensis Episcopi
 copi multis sæculis ante inoleverat : de
 quo Possidonius in vita c. 22, recenset.
 Eum refectionis tempore, magis lectio-
 nem vel disputationem; quàm epulatio-
 nem, potationemque dilexisse : atque a
 deò sobrietatis amantem extitisse, ut se
 cum convivantibus, & commorantibus
 numerum poculorum præscriperit. At
 eodem pio legendi, super mensam, mo-
 re, non deflexit S. Laurentius Justinia-
 nus Venetorum Patriarcha : qui, ut in
 vita c. 5. refertur, non solum ad men-
 sam suam divina eloquia recitanda cu-
 ravit, verùm etiam aliis id ipsum magno
 verborum ac rationum pondere persua-
 dere studuit, in lib. de discipl. c. 20. cu-
 jus verba documentis plena tamen
 proluxa, non pigebit hic attexere.

Priusquam, inquit ; carnale capiant
 alimentum, Deo gratias & laudes im-
 mensas voce ac spiritù pro iis quæ appo-
 sita sunt, reddant, prout Divina clemen-
 tia ministraverit : post quas, cibum su-
 mant parcè, voracitate religatâ. Indig-
 num prorsus est, & à via spiritus alie-
 num,

num, ut mens, quæ nullo corporali eget alimento, corpore se reficiente, jejuna permaneat: *Propter quod semper refectionis tempore, aliquid de divinis scripturis, legendum est: quatenus interior homo habeat unde nutriatur.* Divina namque eloquia & lectio scripturarum, sic animæ, sicut cibus corpori, tribuit nutrimentum; juxta Domini sententiam, dicentis: *Non in solo pane vivit homo; sed ex omni verbo quod procedit de ore DEI.* Lucæ c. 4. Eapropter Sancti Patres cælesti afflati spiritu; sapientiæ lumine radiantes, sanxerunt; ut in congregationibus & refectionibus Christo militantium, quum mensis discumbitur, Martyrum certamina ac Sanctorum gesta, seu ipsorum dicta, ab uno, altâ voce cantentur; ut ex iis, quæ pronuntiata exteriùs, elevata mens ab infimis, in sensus carnalium non transeat delectationum, igitur linguâ omnino, sub silentii rigore persistente, tota mens in consideratione eorum, quæ leguntur, delectabiliter occupetur, & de iis saginetur; nec alio vagetur; nisi fortè ex supervenienti, ad al-

O 2 tiora

tiora traheretur. Deficiente autem eo, qui legat, circa ea, quæ paulò superius narrata sunt, exerceatur animus. Prorsus quippe lingua refectionis tempore religanda est à servis Dei, quibus omnis congruit disciplina sanctitatis,

Quis autem explicet verbo, quantum imania, dissoluta, & detractoria, in conviviiis proferantur verba? quantum distrahatur animus? repleatur venter, & offendatur Deus? si verò hæc in sæcularium comestationibus detestanda sunt, quanto magis in refectionibus servorum Christi, quibus omnino interdicitur conversatio hujus sæculi: ipsis enim incumbit, ut non quæ placent; sed quæ ædificant, agere debeant. Sic inquit Dominus *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Matth. 5. 16. Hactenus gloriosus Venerorum Patriarcha. Cujus, & aliorum Sanctorum doctrinam atque exemplum, non religiosæ solum verum etiam Ecclesiasticæ disciplinæ astricti, imò & sæculares nonnulli amplectuntur.

Vidi-

Vidimus Reverendissimum, ac doctrinâ rarâ conspicuum, quendam Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis Decanum, qui per Ministrorum, aut musicorum suorum nonneminem libros pios, aut doctos, etiam de fidei controversiis, super mensam prælegendos mandabat. Vidimus animarum Pastores & Sacellanos, Pauli de Barry Annum sanctum, documenta præclara, in singulos anni dies, insinuantem, vernaculâ linguâ, pro sua & familiarium ædificatione, ad mensam legentes. Vidimus, etiam Dominos sæculares, præcipuis in Republica muniis inclytos, Annum cœlestem Joannis Nadasi, pro quavis anni luce, sanctorum eo die occurrentium, brevitæ compendium aut elogium exhibentem, pro liberorum & familiæ exemplo ad mensam recitantes.

Quidni igitur & Nos, Domini Confratres, consuetudinem hanc laudabilem, si habemus, constanter prosequamur; aut si fortè apud nos exolevit, postliminio in usum revocemus; aut si defuerit hactenus, introducamus? nec est

O ; quod

quod quis Lectoris defectum causet: Quis enim Prælatorum, aut Dominorum est, qui non è suis unum facile reperiat, qui anagnosten agat? Quis Parochorum, aut Sacellano, aut alio familiari caret; qui hoc munere perfungatur? Quis Sacerdotum tametsi desit alius, suorumque instructioni, & animæ refectio, caput aliquod aut è sacris paginis, aut è Divi Augustini soliloquiis & meditationibus, aut è Cardinalis Bonæ vitæ christianæ principis, aut è Thomæ Kempensis utilissimis libris, aut aliis piissimis ascetis, ipse recitare facile non valeat? *Qualis est terra sine pluvia, & caro sine cibo? talis est anima, si non reficiatur Dei verbo;* ait de lectione mentis loquens, S. Theridius seu Cæsarius.

Quapropter, Reverendissimi, Admodum Reverendi, ac venerabiles Domini; ne in Canone brevi, longiores simus, expositioni coronidem imponimus, & hortamur, ut, qui ad sublimem Sacerdotii dignitatem, gratiâ Dei, prorsus singulari, evedti sumus, omnino nobis persuadeamus, dignum esse (cum

Am-

Ambrosio loquimur) ut cognitâ dignitate nostrâ, eandem observare, æstimare, honorare; vitâ & moribus exprimere; in conviviiis præsertim & epulis, de quibus in præsentiarum agimus, totis viribus satagamus, punctâque quaterna superiùs commemorata & elucidata, probè exequamur: quo refectio nostra convivii Sacerdotalis, nomen & omen jure sibi vendicet. Ac proinde 1. Benedictionem mensæ, & gratiarum actionem non obiter; vulgi & aulicorum quorundam more, sed Christi Domini, sanctorumque exemplo, maximâ, quâ possumus, devotione, attentione, reverentiâ, & animi grati testificatione peragamus, ut ejus virtute atque efficaciâ, cibum sumendum sanctificemus; sanitatem corporis tueamur, omnéque maleficium, ac virus noxium, si fortè quid subsit, depellamus; animæ quoque incolumitatem conservemus, & Diaboli tentationes, gulæque irritamenta generosè retundamus. 2. More Christi, ac primorum Christianorum, convivium nostrum, prandia & cœnæ, frugalitatem Ecclesi-

asticam sapiant, & veluti priscae agapae, charitatem æquè ac misericordiam redoleant. Mensæ nostræ non ciborum lautitia & varietate, non deliciarum copia & multitudine; non ex Italia, Gallia, Hispania, India, aliave plagâ remotiore, accersitâ fructuum, vinorum & Dapum delicatarum diversitate; sed cibo communi, sano, parabili, statuique nostro pauperi, consentaneo instruantur. Fidelium piorum legatis, & pro salute sua oblati ac fundati, vivimus, alimur & sustentamur. Natura paucis contenta, non cupiditas, verè bellua insatiabilis, quæ jugiter frugalitatis & temperantiæ fræno domanda est, 3. Tanquam Sacerdotes Altissimi, & Dei ministri nequaquam crapulâ & ebrietate, corda nostra gravemus; sed tanquam advenæ, in hoc mundi exilio & peregrini ad delicias patriæ ad Dapes Angelorum & beatarum mentium aspirantes, à carnalibus desideriis abstinemus; rejectisque comestationibus & ebrietatibus, gentiliū magis quàm Christianorum propriis, Iesu Christi, Domini nostri, modestiam;

destiam , sobrietatem , temperantiam ,
 aliâque virtutum insignia induamus :
 hâc ratione , sanitatem ad obsequium
 Dei , sartam tectam conservabimus , ca-
 stitatis florem , ut Sacerdotes decet , illi-
 batum custodiemus , in precibus , & a-
 morosis cum Majestate divina colloqui-
 is , consolationum nectar delibabimus ,
 vitamque tranquillam , serenam , & à vi-
 tiorum tumultibus minimè perturba-
 tam , transigemus. 4. Denique exemplo
 S. Augustini , S. Caroli Borromæi , S.
 Laurentii Justiniani , aliorumque innu-
 merorum , tum sub religiosa , tum sub
 Ecclesiastica disciplina Deo militanti-
 um , sacram mensæ lectionem constan-
 ter adhibeamus : ita Concilii Tridentini
 postulato faciemus satis ; & non solùm
 ventrem cibo corporali ; sed etiam men-
 tem alimoniâ spirituali reficiemus ; dis-
 cursus otiosos , fabulas , detractiones ,
 cæterasque linguæ pestes , à mensis , &
 convivii nostris , proscribemus ; præ-
 clarissimos , doctissimos , omnique sapi-
 entia cœlesti & scientiâ sanctorum re-
 fertissimos libros audiemus , aut perle-
 gemus ;

O

gemus ;

genua; quorum documentis & intellectum nostrum illustrabimus; & pius voluntatem affectibus accendemus: illisque accensebimur, de quibus Veritas aeterna: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Joan. 8.47. Ab illis verò, quibus impropertatum est: *Ideo vos non auditis, quia ex Deo non estis;* quàm longissimè secernemur ac discriminabimur.

CANON XI.

Tempus impendant sedulo; neglectum bonis operibus redimant, & quoniam à tempore ritè impenso ferè pendet tota hominis salus, quò securius per id gradientur, pro suo quisque statu certum sibi prescribat diei ordinem, eique tenaciter inhereat, nisi charitas ad aliud invitet, aut necessitas compellat.

EXPOSITIO

Siquidquam in mundo est quod largo lachrymarum flumine sit deplorandum,

dum, illud fanè est , adeò mortalibus commune, temporis pretiosi dispendium. Aufers puero nuces , & plorat; inquit S. Augustinus. Conflagrat colono casula rusticana, & ejulat: Perit Euclioni pecuniæ summa; & expostulat , ac præ mœrore somnum vix capit; Amittit mulier drachmam , & domum totam everrit, quæritque eam donec recipiat: Perdit Pastor ovem, & per avia ac devia currit, investigatque, donec inveniat. Et homo lege Christianâ imbutus, quin & Sacerdotio initiatus, atque animarum curæ devotus, perdit tempus, omnibus mundi thesauris præstantius; & nullus sensus, nullus dolor, lacryma nulla, nulla recuperandi cura aut cogitatio cernitur. Quotus quisque, obsecro vatem imitatur asse **entem**:

*Damna fleo rerum sed plus fleo damna
dierum:*

*Quisque potest rebus succurrere nemo
diebus?*

Hanc mortalium innumerorum vecordiam deplorabat S. Ambrosius; quòd tempus, quo domicilium pulcherri-

mum in cœlis sibi ædificare valerent
 nugis, bullis, & crepundiis, more pue-
 rorum, consuetandis, insumerent. Hanc
 quoque amentiam incusabat Romanus
 sapiens licet veræ fidei lumine destitu-
 tus; dum in querelas effusus, inquebat:
Tempus quasi nihil petitur; & quasi nihil
datur, ac proinde magna vite pars elabi-
tur malè agentibus, magna nihil agenti-
bus; tota aliud agentibus. Et sanè an non
 hoc, in bene multis, ipsissima compro-
 bat veritas? Quot enim milleni in orbe
 terrarum, *malè agunt*: dum scelera sce-
 leribus accumulando, vitæ suæ tempus
 pessimè dilapidant? Quot milleni *nihil*
agunt; dum in multam lucem stertendo,
 aut otio indulgendo, & vanitatibus va-
 cando, vitæ suæ dies miserè prodigunt?
 Quot milleni *aliud agunt*, non id, ad
 quod conditi, creatique sunt; dum an-
 nos suos lucris æternis destinatos, rebus
 terrenis atque caducis totos insument,
 & stolidè transigunt? Quot denique
 milleni, nugarum institores, & fabella-
 rum artifices, tempus nobile, quasi ve-
 nale circumferunt, & ad verbum aut

nutum

nutum socii cujusdam obvii, fabulando, jocando, obambulando, helluando, tripudiando noxiè divendunt; atq; ita jacturam faciunt, tota æternitate deplorandam, nunquam resarciendam?

Ne verò quenquam Dominorum Confratrum nostrorum, hujus prodigalitatis aura fortassis afflaret, sollicita Confraternitas nostra, Canone præsentis, terna præclarissima suggerit consilia, tanquam Amuleta longè efficacissima; & quidem unum pro tempore præsentis; alterum pro futuro, tertium pro præterito. 1. Pro tempore præsentis suadet, *ut tempus sedulo impendant.* 2. Pro futuro, *ut stabilem diei ordinem sibi prescribant.* 3. Pro præterito; *ut tempus neglectum, bonis operibus redimant.* Quæ autem ratione; quibusve de causis, tria hæc nobis præstanda videantur, more nostro exponemus, ac temporis brevitatem, nobilitatem, & irrevocabilitatem declarabimus.

I. Consilium primum à Confraternitate nobis, pro tempore præsentis suggestum: est, *Tempus sedulo impendant.*

Idem dudum antè monuerat Siracides :
Fili conserva tempus , & devita à malo.
 Eccl. c. 14. 4. Conserva tempus , illud-
 que omni , quâ potes , sedulitate ac di-
 ligentiâ impende. At qua de causâ ? Au-
 diamus Apostolum : *Tempus breve est.*
 1. Corinth. c. 7. 29. ideòque maximâ
 accuratione expendendum : punctis e-
 nim minutulis , & momentis successivis ,
 quàm citissimè prætervolat. Confirmat
 id S. Jacobus in Epistola sua Catholica
 c. 4. dum interrogat : *Quæ est vita ve-*
stra ? in qua adeò multa , magnâque di-
 sponitis , & grandia in aëre castella fa-
 bricatis ? Scitisne , quàm arcti sint vitæ
 vestræ limites , ? Quænam obsecro , aut
 qualis est vita vestra ? *Vapor est admodi-*
sum parens , & deinceps exterminabi-
tur. Vapor est , qui calore solis , ex aqua
 terræ extrahitur , in altum elevatur , &
 mox in auras resolvitur. Tam levis &
 brevis ; tam labilis & fragilis est vita ve-
 stra ; quæ instar vaporis tenerescit : instar
 floris illico marcescit ; instar roris colli-
 quescent ; instar umbræ evanescit ; instar
 rumoris

rumoris falsi, subito conticescit. O vapor levis! O vita brevis!

Verè tempus nostrum breve est: cuius brevitatem ac pernicitatem, ut paginae sacrae, magis magisque nobis inculcarent, jam cum Nave, ave, sagitta; jam cum nube, vento, fumo; jam cum peregrino, cursore, ac fulmine illud composuere: & meritò sane: tempus enim tanquam navis celeriter transnatat; tanquam avis citò prætervolat, tanquam sagitta properat, tanquam nubes propellitur, tanquam ventus rapitur, tanquam fumus dissipatur, tanquam cursor non retardatur, tanquam peregrinus abit, & non revertitur, tanquam fulgur, in ictu oculi extinguitur. Ubi obsecro sunt dies vitæ vestrae? Numerate, si placet, annos, menses, dies, horas, ubinam sunt? Fugerunt, *transierunt velociores cursore* festinante, celeriores ipso sole, quovis horæ spatio ultra millionem miliarium decurrente. Et quamvis cum Adamo protoplasto parente nostro, cum Seth, Enos, & Mathusalem, ultra annos nongentos vitam proteletis; co-

gemini

gemi tamen tandem cum Jobo fateri
Brevis dies hominis c. 14. Et cum Patri-
 archa Jacobo; *Dies peregrinationis meae,*
parvi & mali. Gen. c. 47. 9. id est pau-
 ci, ac miseris, ærumnisque referti.

Verum scire & perspicere amplius
 desideratis vitæ vestræ brevitatem? An-
 nos vestros cum æternitate componite,
 & cernetis. Demus enim vos vitam, ad
 annum centesimum prorogare; quod
 tamen è millenis vix uni accidit, quid
 sunt, obsecro anni centum, aut sæcu-
 lum unum, ad æternitatem? Profecto
 non aliud, nisi arena ad mundum, gut-
 ta ad oceanum, stella ad cœlum. Atque
 ut id clariùs penetretis, crebriùs in infi-
 nitam æternitatis abyssum, mentibus ve-
 stris descendite, hæc ratione.

Apprehendite manu Bibliorum sa-
 crorum volumen, aperite illud, ac pri-
 mum Geneseos caput inspicite: deinde
 considerate; si ab Angelo, ad hoc à DEO
 deputato quolibet annorum millione
 evoluto [millionem voco, decies cen-
 tena millia] unus duntaxat voluminis
 dicti character deleretur; quot millio-
 nes

nes annorum effluerent , antequam caput unum , ne dicam totus deleteretur Liber Geneseos ? Quot milliones , antequam Liber Exodi ? Quot milliones , antequam Liber Regum , Psalmorum , Prophetarum , Machabæorum , Evangeliorum , ac Reliquorum , omnino expungeretur ? O quis Mathematicorum , numerum tantum ad calculum revocet ? verum , si placet , pergite ulteriùs considerare : erasis jam cunctis è codice Bibliorum , literis : idem Angelus ad alios tomos , ad alias , & alias Italiae , Germaniae , Galliae , Hispaniae , bibliothecas descendat , & pari ratione , post quamlibet annorum myriadem , gramma non nisi unicum obliteret : ô quot milliones annorum , quot dimilliones , tri milliones , & millionum milliones elabentur , priùsquam omnium horum tomorum & bibliothecarum characteres , dictâ methodo , penitus expungantur ? ô quis non hæreat attonitus ? Quis hic non longissimam æternitatem sibi imagine- tur ? Et tamen , mihi credite , nondum censendum est initium , nondum medi-
um ,

um, ne dicam finis æternitatis, sive Beatorum in paradisi gaudiis, sive damnatorum in Inferni tormentis, O pelagus æternitatis intransnabile! O abyssus nulla exploranda bolide! O numerus annorum sine numero! O labyrinthus sæculorum sine exitu!

Atque his probè perpensis: quàm brevis, quàm exilis & momentanea sit vitæ nostræ periodus, vosmet ipsi, Domini Confratres, decernite, ac sententiâ vestrâ definite. An non eam meritò cum Davide somnium, cum Apostolo vaporem, cum aliis rorem, florem, umbram, & ictum oculi quo clauduntur omnia, esse censebitis? At quid inde concludetis? quid consilii capietis? Haud dubiè, cum Doctore gentium inferetis: Si tantæ brevitatis, est vitæ nostræ cursus: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, præsertim ad Domesticos fidei.* Ad Gal. 6. 10. Imitemur Norvvegiæ falcones, qui, quia brevissimi istic dies aguntur, magnâ velocitate alimoniam prædantur, ne à nocte præveniantur. Ita pariter & Nos
dum

dum tempus habemus, ac dies breves, *operemur bonum* velociter. Cogitamus ab hoc illóve defectu nos expedire, aut à vitæ tepore desistere, ac ferventem, dignámque Sacerdote vitam auspicari? Auspicemur velociter. Cupimus elemosynas in egentes erogare, aliave opera pia aggredi? Ne differamus de die in diem, demus citò; qui citò dat; bis dat. Da tua, dum tua sunt, post mortem, tunc tua non sunt, *Dum tempus habemus, operemur bonum*, ne rejiciamus in crastinum: quia nostri similibus nemo Divos tam habuit faventes, crastinum ut posset sibi polliceri, operemur ergo dum dies est, veniet nox, quando nemo potest operari.

II. Consilium secundum, pro tempore futuro, in Canone præsentem nobis suppeditatum, est; *ut ordinem diei stabilem sibi quisque præfigat ei que tenaciter inhæreat; nisi charitas ad aliud invitet, aut necessitas compellat.* Ad idem hortatur Apostolus suos Corinthios, dum ait: *Omnia bonestè, & secundum ordinem fiant in vobis.* 1. Corinth. c. 4.

Ordo

Ordo enim, ut loquitur S. Augustinus l. 2. de ord. *Dux est ad Deum, & quæ ad Deo sunt, ordinata sunt.*

Ratio ulterior, perquam efficax assignatur in Canone: *quoniam à tempore rite impenso ferè pendet tota hominis salus.* Adeoque tempus nobile, tempus pretiosum est, utpote ad veniam & gratiam, ad salutem & gloriam perennem comparandam, nobis à Numine supremo concessum: de quo præclare monet Doctor mellifluus in serm: ad schol. *Nemo, ait, vestrum parvi æstimet tempus quod in verbis consumitur otiosis: volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile, nec advertit insipiens, quid amittat. Libet fabulari, ajunt, donec hora prætereat. O donec hora prætereat! quam tibi ad agendam poenitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miseratio Conditoris indulserat. O donec transeat tempus! quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem; suspirare ad amissam hereditatem; excitare remissam voluntatem:*

ratem: flere commissam iniquitatem! O igitur tempus nobile! O horæ pretiosæ; in quibus, tot ac tanta bona, dona ac charismata licet comparare.

Et sanè, quis tempus *nobile* esse neget, à quo tota pendet æternitas, in quo gloria æternitatis in immensum augeri valet? Hinc est, quod S. Gregorius Nazianenus vitam hanc mercatum, seu tempus nundinarum esse edixerit; in quo omnis generis opes, scilicet virtutes, nobis coëmere valeamus; eo autem finito, nullus ampliùs emendi locus relinquatur. Cogitemus Regem quempiam ditissimum ac liberalissimum, suum nobis aperire gazophylacium: ut ex eo pro libitu, in omnem vitam reliquam, necessaria capiamus; sed unico duntaxat die; quo neglecto; ætatem nostram omnem, in fame & siti, in egestate & nuditate infeliciter tracturi simus; nos verò lufibus, epulis, fabulis, aliisque nugis diem illum stolidè transigere. Quænam, obsecro, isthæc foret insania? Et tamen hujusmodi amentiam innumeri quotidie incurrunt mortales; dum thesaurorum

rum

rum cœlestium & perennium oblitum
 terram, non aurum; vitrum, non ma-
 garitum, conchas, non uniones con-
 gregant; quando toto conatu in cadu-
 ca periturâque bona irruunt, ac sese pe-
 nitus effundunt. O utinam saperent
 utinam oculos aperirent! Utinam
 temporis pretium inæstimabile nôssent
 ac perspicerent!

Hoc temporis nobilissimi pretium,
 quisquam alius, rectè ad libellam ap-
 pendere, atque æstimare scivit, Sancto-
 rum Patrum Aquila Augustinus, dum
 dixit L. 1. Confess. c. 21. *Carò mihi va-
 lent stilla temporum.* At quàm carò? Qui
 Oedipus nobis pretium ejus divinabit
 atque edisseret? Interrogate Cæsares
 Reges, Principes, supremæ vitæ linea
 admotos, quonam pretio vel unicum
 vitæ annum licitarentur? Ludovicus
 XI. Galliaë Rex in morbo fatali, Archia-
 tro suo, in dies singulos, quos pharmaco-
 rum ope vita adjicere posset, num-
 mos aureos spondebat sexcentos. Sed
*non poterat pretio vel breve tempus emi-
 Interrogate Damnatos, an non mille*
 mun-

mundos cum omnibus thesauris darent
 ut vel unicam pœnitentiæ agenda horam
 obtinerent ? Sed *non poterit pretio
 vel breve tempus emi.* Interrogate Bea-
 tos, an non tempus augenda gloriæ &
 coronæ suæ in cœlis, omnibus equuleis,
 gladiis, rotis, ignibus, bestiis, ac marty-
 riis, empturi essent, si liceret ? Sed de-
 inceps, *non poterit pretio vel breve tem-
 pus emi.*

Ne igitur & nos, Domini Confra-
 tres, parum æquis temporis æstimatori-
 bus accenseamur ; & caras, pretiosasque
 temporis nostri stillas, easque forte per-
 modicas, in vitæ nostræ clepsydra resi-
 duas, absque lucris æternis, infructuosè
 prætermittamus, ordinem diei stabilem
 nobis contexamus, ad quem temporis
 nostri horas & occupationes exactè me-
 tiamur (cujus praxin in horologio Sa-
 cerdotali & Pastorum Manuali p. 2. c.
 1. videre est ; quò ut brevitati consula-
 mus, lectorem remittimus) Quod si an-
 ceptus quis hæreat, in his illisve negotiis,
 aut studiis præ aliis suscipiendis, aut o-
 mittendis, ex consilio S. Bernardi, eli-
 gat

gat *viciniora salutis*; id est meliora, perfectiora, officio, statui, salutique æternæ magis consentanea; usque inconstantiam exclusa, perseveranter inhæreat patheticam Ecclesiastæ c. 9. *auscultans & amplectens parænesin: Quodcumque facere potest manus tua, instanter* (id est ferventer, constanter, perseveranter) *operare. Quia nec opus* [id est operandi locus & tempus] *nec ratio*, [seu modus cogitandi, quærendi, operandi,] *nec sapientia* (divina vestigandi, Deumque cognoscendi, amandi, colendi & promerendi) *nec scientia*, (dictas virtutes exercendi) *erunt apud Inferos*, quo tu *properas*. Id est *in limbo*, ad quem, Ecclesiastæ ævo, justis omnes descendebant; vel ut exponit Chaldæus, *in sepulchro*, multò minùs erunt apud Inferos, id est apud damnatos *in inferno*. Quia igitur, ut monet S. Gregorius hom. 13. in Evang. *Et ventura mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus; superest, ut ante mortem, tempora indulte rapiamus.*

III. Consilium tertium, pro tempore præterito, in Canone nostro, nobis oblatum est: *Tempus neglectum bonis operibus redimant.* Idem illud, pridem antè Ephesios suos docuerat Apostolus: c. 5. *Redimentes tempus.* Cùm enim tempus præteritum irrevocabile sit; id unum restat, ut illud, omni meliore modo, redimamus, damnùmque, quod passi sumus, compensemus: atque ut id alacriùs præstemus, temporis irrevocabilitatem, crebrò mente volvamus.

Tempus est irreparabile, & irrevocabile: quemadmodum enim nec solis orbita in cursu suo sufflaminari, aut retroagi: nec flumina retrorsum queunt relabi; ita nec tempus elapsum, arte ullâ aut machinâ valet reduci: *Nec qua præterit rursus revocabitur unda; Nec qua præterit, hora redire potest.* Canit Ovid. L. 6. fast. Tempus suum habuere Beati, illòque probè usi, præmia æterna meruère. Tempus suum tenuère damnati; sed eo pessimè abusi sunt; & in quo gaudia cœlestia sibi comparare poterant, perpetua acquisivère supplicia. O quàm

P opta-

optarent nunc miseri vel tantillum temporis ad deflendas , & abolendas vitæ præteritæ noxas ! Verùm nec dies elapsa reverti , nec occasio calva retrahi , *Nec quæ præteriit , hora redire potest.*

Quid igitur nobis consilii? Si nostram consideremus infantiam , nihil in ea boni gessimus ; quia rationis usu destituti fuimus : si expendamus pueritiam , perparum in ea boni præstitimus ; quia lufibus & crepundiis puerilibus illud exegimus : si juventutem inspexerimus , fortassis quoque pauca bene , multa perperam acta esse deprehendemus , quia variis eam delictis juventutis inquinavimus : si ætatem virilem ad trutinam revocaverimus , & hanc forsitan meritis , virtutibus , ac operibus bonis vacuum reperiemus , quoniam vel honori , & gloriæ mundanæ velificavimus , vel in æstuarum hujus sæculi , terrenisque acquirendis , & augendis facultatibus , eam insumpimus. Quid igitur nunc restat solatii ? quid remedii & antidoti ? Nihil melius , quam quod suggerit Apostolus : *Redimentes tempus : & quod suadet*

Ca-

Canon noster undecimus : *Tempus neglectum bonis operibus redimant.*

At hîc fortassis dubius quis hæret, & fluctuat; ac rescire desiderat : Quid sit tempus redimere?

Respondet 1. S. Anselmus : *Tempus redimere est, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus, id est dum dignos pœnitentiæ fructus facimus, peccata omissa plangimus, plangenda denuò non perpetramus.*

Respondet 2. S. Augustinus serm. 24. de verb. Apost. *Tempus redimimus, dum illud litibus, & causis sæcularibus subtrahimus, ut quiete, ac tranquillitate fruamur, Deoque vacemus. Quando, inquit, aliquis tibi infert litem, perde aliquid, ut vaces Deo, non litibus: idem quod perdis, pretium est Temporis: sicut enim das nummos, & panem emis: itaque aliquid amittis, & aliquid acquiris: sic perde nummos, ut emas tibi quietem, id est tempus vacandi Deo: hoc enim est tempus redimere.*

Respondent 3. Alii Patres sancti :

Tempus redimimus , dum reliquum vitæ nostræ tempus majore pietatē , devotione , ac fervore insumimus , & negligentiam præteritam , duplicato bonorum operum tributo , ac censu compensamus. Non abs re erit , par dispar hinc attexere , & simili dissimili dictam Patrum doctrinam declarare. Mycerinus Rex vitæ voluptuariæ ex asse mancipatus , cum accepisset (ut refert Herodotus l. 2.) se intra annum septimum , periturum , lucernarum ingentem copiam sibi adornandam curavit , ubique epulis & ludis , noctes conjungens cum diebus ; ut hanc ratione , annos duplicaret & quatuordecim è septenis efficeret. Atque inde ortum proverbium *Mycerini noctes*. Hoc est tempus redimere , sed pessimè : hoc est noctes in die convertere , annosque multiplicare , sed non sine scelere & perpetua damnatione.

Aliter & methodo fortunatiore vobis , Domini Confratres , tempus redimendum est , si fortassis illud non modicâ ex parte amissum , ac dilapidatum lugeatis. Secundum Apostoli salutare monitum :

nitum: *Videte Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, & tempus breve, nobile, irrevocabile, stolidè, pueriliterque prodigentes, sed sapientes, & tanquam prudentes rerum æstimatores redimentes tempus, præteritum malè transactum. Redimite ergo tempus, non cum Mycerino, diu noctuque epulis & ludis vacando, sed vitæ præteritæ delicta deffendo; redimite tempus, iurgiis; triticis, negotiisque sæcularibus sepositis, Deo, divinisque magis inhærendo; redimite tempus, virtutum opera antè neglecta deinceps duplicando. Si hætenus non sat libenter & frequenter egenis elemosynas distribuistis; in posterum eas duplicate: si hætenus parum temporis orationi & meditationi cœlestium tribuistis; deinceps illud duplicate: si hætenus rarò jejuniis, aliisque operibus pœnosis, carnis petulantiam fregistis, nunc ea duplicate; si hætenus rarius ad aram fecistis, nunc sacrificiorum numerum geminate; hoc est enim tempus malè collocatum redimere.*

Quæ cum ita sint, Reverendissimi,

P 3

Ad-

Admodum Reverendi ac Venerabiles
 Domini Confratres, statuamus, quo pa-
 cto tempus nostrum, breve, nobile, ir-
 revocabile, deinceps infumamus. Vidi-
 mus 1. *Tempus presens* vitæ nostræ bre-
 ve esse, & instar vaporis subito evanes-
 cere; instar navis, & avis; instar sagittæ,
 & nubis, instar fumi & turbinis, instar
 peregrini, & cursoris, instar fulguris, &
 fulminis prætervolare, tametsi Adæ aut
 Mathusalem annos attingeremus, quod
 æternitatis consideratione illustravi-
 mus, ideoque firmiter decernamus, se-
 cundum Confraternitatis consilium,
tempus breve sedulo impendere, & dum
 tempus habemus, bona opera ad om-
 nes explicare; quanto cyus manum ad-
 movere, nec ea in futurum procrastina-
 re. 2. Perpendimus restans nobis *tempus*
futurum esse omnino nobile, utpote à
 quo salus nostra, ac tota felix, aut infelix
 æternitas dependeat: esse pretiosum, ad
 agenda pœnitentiam, ad obtinendam
 veniam, ad acquirendam gratiam, ad
 promerendam gloriam, & beatitudi-
 nem perpetuam, nobis à conditoris mi-
 seri-

misericordia, & indulto ad mensum: esse
 tanquam divitem officinam mercatori-
 am, aut gazophylacium regium nobis
 liberaliter apertum, ut inde necessaria
 pro totâ æternitate depromamus, nisi
 egestate, & nuditate, fame, & siti con-
 fici velimus: esse thesaurum omni auro,
 & lapide pretioso longè præstantiorem;
 quemadmodum Cæsarum, ac Regum,
 Beatorum, ac Damnatorum testimonia,
 & exempla comprobant: quem ut mi-
 nimè prodigamus, exactum diei ordi-
 nem, & temporis partitionem concin-
 nemus, secundum quàm opera quoti-
 diana constanter dispescamus; viciniora
 saluti, statuique nostro magis congrua,
 sive studia, sive negotia prudenter eliga-
 mus; nec temporis adeò cari stillam abs-
 que fructu prætermittamus, identidem
 seriâ Ecclesiastæ parænesi teporem no-
 strum exstimulantes: *Quodcunque face-
 re potest manus tua, instanter operare:*
*quia nec opus, nec ratio, nec sapientia
 nec scientia, est apud Inferos, quo tu pro-
 peras. c. 9. 3. Perspeximus Tempus præ-
 teritum esse irrevocabile, instar fluminis*

decurrentis, & non regredientis; ac proinde si id in juventute, aut maturiore ætate infructuosè trivimus, secundum Apostoli, & Confraternitatis consilium, illud omni studio redimamus; vitam antea actam deplorando, tempus negotiis secularibus surripiendo, & Deo, divinisque consecrando; ac denique preces, eleemosynas, sacrificia, aliæque opera bona duplicando. Veniet enim aliquando tempus, quando *tempus non erit amplius*; sed erit æternitas, sive apud Beatos in paradisi gloria; sive apud Damnos, in gehennæ flamma; tunc jusjurandum Angelicum in nobis implebitur. Apoc. c. 10. 6. *furavit Angelus per viventem in secula seculorum, quia tempus non erit amplius.*

CANON XII.

V *Acet aliquoties per diem orationi mentali.*

EXPO-

EXPOSITIO

Utilissimum meditationis sanctæ exercitium, sive orationem mentalem, Doctori Gentium in more positam, usitatamque extitisse, verbis illis insinuat: *Orabo spiritu, Orabo & mente*: I. Cor. 14. 5. adeoque nobis, cunctisque viris Apostolicis, illius exemplum & methodum exhibet: *Orabo spiritu*, ut spiritus oratione pascatur, *Orabo & mente*, ut mens intelligentiâ repleatur. Meditatio namque ex S. Augustini sententiâ L. de Spiritu & Animâ: est *Studiosa occulta veritatis investigatio*: quæ ut exponit ulterius Doctor Mellissius in Scal. claustr. c. 3. *Non hæret in superficie, sed interiora penetrat, singulari rimatur, ac rimando succum elicit, & transglutiendo, usque ad cordis intima transmittit*: atque ita non solum intellectum instruit, docet & illuminat; verum etiam voluntatem pascit, roborat, afficit, inclinât, & ad operandum impellit; proprium enim est creaturæ rationalis,

P 5

ut

ut loquitur D. Thomas 2. 2. q. 25. a. 1. per inquisitionem rationis ad agendum permoveri: quod accidit, dum ternæ facultates animæ, *Memoria, Intellectus, & Voluntas*, meditationis exercitio occupantur. & 1. *Memoria* intellectus oculis, meditationis punctum objicit. 2. *Intellectus* deinde in discurrendo, unum ex alio inferendo, rerum naturas, causas, effectus, peristases, commoda, incommoda, præmia, supplicia expendendo, aliaque movendæ ac inflammandæ voluntati opportuna proponendo se detinet, 3. Denique *Voluntas* in varios erumpit affectus, & quidem, si res bona sit, desiderando, sperando, amando, gaudendo, optando, petendo, eam prosequitur; sin autem mala sit, timendo, fugiendo, dolendo, detestando, ab ea avertitur, atque in proposita aut prosequendi, aut fugiendi resolvitur, & in his sita est meditationis methodus, à SS. Ecclesiæ Doctoribus tot encomiis celebrata; meritóque Soror lectionis, nutrix orationis, directrix operis, consummatrix perfectionis: laborum solatium, ani-

mæ

mæ speculum, passionum frœnum, vi-
tiorum antidotum, compunctio-
nis vinum, charitatis incentivum,
ab iisdem auncupata.

Ne igitur & Nos tanti boni expertes
videret Confraternitas nostra laudatissi-
ma; Canone duodecimo suadet, *Vacent
aliquoties per diem orationi mentali*, cu-
piens nos mysticè implere id, quod olim
in iunctum Sacerdotibus Legis antiquæ:
*Ignis in Altari meo semper ardebit:
quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna
mane per singulos dies.* Levit. 6. 12. im-
plebimus illud, si cor nostrum fuerit
Altare: ligna, meditationis puncta, fol-
lis insufflatio, intellectus consideratio,
ignis excitatio, affectio voluntatis. Ut
igitur tam pio, sanctoque Confraterni-
tatis voto faciamus satis, & cordis nostri
Altari ligna meditationis, ad excitan-
dum ac fovendum amoris divini ignem,
per dies singulos subjiciamus, ternæ
ignis in meditatione exardescens spe-
cies, tanquam effectus & fructus, medi-
tationis, nobilissimi, à nobis Expositio-
ne præsentis producentur; nimirum

Ignis animæ scoriam expurgans, Ignis mentem illuminans, Ignis voluntatem inflammans.

I. FRUCTUS.

Ignis anima scoriam expurgans.

Primus ignis in meditatione exardescens est, ignis animam à vitiorum scoria perpurgans, docuit id S. Diadochus cap. 97. asserens: *Qui vult cor suum purgare, semper illud recordatione Domini IESU inflammet: Et quod in corde terrenum est Dei recordatione ac meditatione consumat: Et sic anima ad splendorem suum perfectè redeat.* Hunc meditationis fructum, tanquam scopum ejusdem statuit S. Ambrosius l. 2. de Virgin. scilicet dispicere: *Quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeamus: ad hunc enim finem collimat meditatio.* Egregiè hunc è meditatione fructum retulit Vates coronatus, artis meditando, si quisquam alius, admodum gnarus, ps. 38. 4. ita canit: *concaluit*

cor meum intra me: dum nimirum æternorum ac cœlestium commentationi studiosè intenderem; *concaluit cor meum*, Textus arabicus legit, *Æstnavit cor meum*: chaldæus *ebullivit cor meum*. *Et in meditatione mea exardescet ignis*. meditari enim, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, est, *veluti silicem igniarium percutere, ut ardentes inde scintille promiscant*, Dum igitur cor aridum, cor tepidum, cor mœstum, cor durum experimur, pumex ille, aut cordis silex, discursu & meditatione percutiendus est, donec in amore Dei, odio peccatorum, compunctione, desiderio humilitatis, mortificationis, & reliquarum virtutum inflammescat, nec ante desistendum, quàm ignem hunc eliciamus & accendamus.

Exemplum luculentum præbuit ante laudatus Vates Regius ps. 76. Offenderrat Is Numen divinum, numerando populum, quod delictum Divina Nemesis illico plexit, quando peste septuaginta hominum millia abstulit. Hinc Davidis mœror, hinc angustia, tribulatio & cla-

mor ad Deum: *Voce mea ad Deum clamavi v. 2. In die tribulationis meae Deum exquisivi. v. 3. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, scilicet in oratione, meditatione & contemplatione, Et defecit spiritus meus. v. 4. præ anxietate, sollicitudine, timore & afflictione. At quæ meditationis tuæ materies Prophetæ sancte? Cogitavi dies antiquos, tum æternitatis antecedentis, tum vitæ meæ antiquæ & præteritæ. Et annos æternos in mente habui. v. 6. scilicet æternitatis secuturæ, vel apud Inferos in gehenna, vel apud Beatos in cœlesti patria. Et meditatus sum nocte cum corde meo & exercitabar, sed quis fructus hujus exercitationis & meditationis? mox subtextit: & scopebam spiritum meum, id est, spiritum quasi scopis verrebam & agitabam, mundabam atque purgabam à delictis & peccatis contritionis lachrymis: ne forte æternum me Deus projiciat à facie suâ, v. 8. aut in finem misericordiam suam abscindat. v. 10. moxque emendationis propositum subdit: *Et dixi, nunc cæpi:**

cœpi: hac mutatio dextera Excelsi. v. II.
 Ecce hic fructus meditationis Davidicæ,
scopebam spiritum, purgabam animam,
 mutabam vitam ex justitiæ & misericor-
 diæ divinæ & æternitatis sedulâ con-
 sideratione.

Reverendissimi, Admodum Reveren-
di Domini Confratres, si quis forte è No-
 bis elato est animo, aut odio, irâve suc-
 census, invidiâ aut luxuriâ afflatus: cum
 Davide annos æternos in mente habeat,
 meditetur mortis horrorem, judicii ri-
 gorem, æternas orci pœnas, perpetuas
 paradisi cœlestis delicias, & mutationem
 dexterae Excelsi sentiet; rimare, medita-
 re, *memorare novissima tua & in eter-*
num non peccabis. Meditatio enim ut in-
 quit S. Ephrem de orando Deum: est a-
 nimi elati repressio, iracundiæ frœnum,
 odii alexipharmacum, invidiæ destru-
 ctio, libidinis extinctio, correctio om-
 nis impietatis. Si quis nostrum laboret
 acediâ, & rerum cœlestium nausêâ, ac-
 tædio lectionis, orationis, & laboris:
 meditationis ligna cordis foco apponat,
 & mox exardescet ignis fervoris & de-
 votio-

votionis; qui negligentia longæ callum
 aboleat, perpendat status Sacerdotalis
 obligationem, pœnarum infernalium
 atrocitatem, præmiorum cœlestium
 magnitudinem, æternitatis felicitis & in-
 felicitis perpetuitatem, & cordis æstum
 sentiet tædiumque depellet. Legimus in
 vitis Patrum & apud Ruffinum l. 3. n.
 107. à juniore Eremicola requisitum
 Abbatem Achillam: cur sedens in cella
 mea, patior acediam? reposuit Senex
quia nondum vidisti [nempe per confi-
 derationem & meditationem vivam] *re-*
quiem, quam speramus, neque tormenta,
que timemus, si enim ea diligenter inspi-
ceres, etiamsi vermibus plena esset cella
tua usque ad collum, tu tamen in ipsis ja-
ceres, permanens absque acedia. Sic est,
 inde omnis oscitantia & negligentia, om-
 nis malitia & nequitia, omnis exces-
 sus & defectus, in Clero & Populo, quia
 mente non volvunt æterna, sive præmia
 sive tormenta, *Desolatione desolata est*
terra, clamat Propheta, quia non est qui
recogitet corde, Jerem. 12. Hinc deso-
 latio ac devastatio rerum spiritualium;
 hinc

hinc terrenorum desiderium, cœlestium fastidium, vitiorum seminarium, virtutum exilium, verbo, omnium malorum & scelerum colluvies quaquaversum scaturit.

II. FRUCTUS.

Ignis mentem illuminans.

Alter ignis in meditatione exardescens est ignis mentem sive *intellectum illuminans*, ut cognoscenda cognoscat, ac lumine fidei & veritatis perfusus, voluntati facem præferat, quæque amplectenda aut fugienda sint demonstrat. Quænam vero emolumenta ex hac illuminatione, animæ proveniant: præclare exponit Doctor Angelicus, in instructione Principis L. 3. c. 4. ubi hortatur, ut Princeps, & quivis alius publico deserviens, considerationi & meditationi indies tempus nonnullum assignet, ne gravissimis damnis improvise emergentibus imparatus occurrat. Quod ut efficacius suadeat & persuadeat,

at,

at, solidam dicti sui allegat rationem :
 dum ait: *In minori mundo*, scilicet ho-
 mine id est *defectus considerationis*; quod
in majori mundo est defectus illuminatio-
nis. Tria autem sunt in majori mundo ab
illuminatione, *decor*, *directio* & *securi-*
tas: nam primo deficiente illuminatione
 perit *decor*; quia non cernitur: deficit *di-*
rectio & *ordo*, quia nascitur *confusio*; de-
 ficit *securitas*, quia *periculum*, *ruina*, &
lapsus subsequitur. Quod in *Megalocolo-*
mo accidit, idem teste eodem S. Docto-
 re & in *Microcosmo* nostro evenit, si
 adsit *meditationis illuminatio*: ex hac
 vero si adsit, animæ *decor directio & se-*
curitas exoritur. siquidem

1. Ex ea nascitur *decor* virtutum: nam
 ut ait S. Chrysostomus L. 2. de orat. Si
 quis cum sapientibus viris colloqui so-
 let, propter assiduam consuetudinem,
 sic brevi transmutatur; ut illorum pru-
 dentiam referat: quid dicere convenit
 de his qui cum Deo colloquia miscent,
 & sua vota offerunt, quantâ sapientiâ,
 quantâ prudentiâ, quantâ bonitate,
 quantâ sobrietate, quantâ morum æ-
 quitate

quitate replebit precatio, obsecratio & meditatio? Proinde nequaquam aberraverit à vero qui eam omnis virtutis ac justitiæ causam esse asseveraverit. Quemadmodum enim, ubi Regina quæpiam ingreditur Civitatem, necesse est, ut omnis opulencia consequatur, ita pariter, postquam mentalis oratio venerit in animam, omnium virtutum chorus simul ingreditur. Idem confirmat S. Venetorum Patriarcha Laurentius Justinianus, L. de cast. connub. c. 22. Meditatio, inquit, est disciplina mentis, est spiritualis Pædagogus orationis funiculus, incipientium eruditio, intentionis mentis provida gubernatrix.

Præcurrit orationem spiritûs, disponit ad contemplationem, animæ munditiam operatur, ministrat devotionem; in corde spirituales lætitiæ ebullire facit; atque sapientiæ parat domicilium. Ex ipsius assiduitate, stabilitur mens, cogitationes purgantur, solitudo sapit, delectatur Deus, ingenium acuitur, castificatur sensus, illustratur ratio, loquela restringitur, & animus ad alta suspenditur

penditur. Hæc ille. Quantus igitur, quamque varius, ex hac illuminatione, virtutum decor & splendor enascitur?

2. Ab illuminatione *directio* manat. Quemadmodum enim noctu in tenebris horror est & inordinatio; orto autem sole, lumine omnia collustrante; exit homo ad opus suum, & ad operationem suam, usque ad vesperum, quia lux dirigit, cunctaque ex ordine peragendi facultatem tribuit: ita pariter, absente considerationis lumine, opera nostra confusione & inordinatione squalent, præsentem vero illuminationis splendore, ordine & accuratatione suâ gaudent, in quaternis hisce punctis conueniunt. *Primum* est, ut opera singula purâ intentione divinæ gloriæ Deo offerantur. *Alterum* ut eximiâ diligentiam & curâ peragantur. *Tertium*, ut singulari fervore ac studio Deo placendi animentur. *Quartum*, ut indies modo perfectiore instituantur, & cum diebus perfectio in operando crescat & augeatur; quod ex vitæ & passionis Domini nostri Jesu Christi, sedula meditatione hauritur atque

atque addiscitur. Præclare hæc exponit S. Bernardus L. 1. de Confid. c. 7. *Consideratio* inquit (quæ in meditatione adhibetur) *mentem de qua oritur, purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat, postremo divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa discriminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat incorrectum, aut correctione egens: Hæc est quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit. &c.* Omnis hæc directio, operumque coordinatio, discretio, compositio, correctio, & vitæ nostræ puritas, honestas ac rectitudo, ex illuminatione meditationis progreditur; siquidem *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* S. August. homil. 4. ex 50.

3. Ab illuminatione oritur *Securitas*. Sicut enim homo nocturnis in tenebris, omnia etiam tuta timet, ad quem vis strepitum

pitum pallet, ad quemvis passum, ca-
 sum aut ruinam metuit, ad quemvis
 clamorem, insidias, hostes, fures, latro-
 nes instare reformidat; ita merito Cleri-
 cus aut Sacerdos quilibet, meditationis
 illuminatione destitutus, animæ suæ in-
 sidias, hostes, lapsus & pericula timet,
 & ad illa expavescit. O quot pedicæ,
 quot retia, quot pericula statum Cleri-
 calem, Sacerdotalem ac Pastoralem ob-
 sepsere, quæ non nisi meditationis ocu-
 lo perspiciuntur; aut æstimantur! Peri-
 cula sunt in castitate; pericula in bono-
 rum administratione, pericula in bene-
 ficiorum pluralitate: pericula in cura a-
 nimarum. Pericula emergunt ex coha-
 bitatione: pericula ex comestatione: pe-
 ricula ex ebrietate: pericula ex colloca-
 tione: pericula ex propria infirmitate:
 pericula ex occasione: pericula ex inoli-
 tâ consuetudine: pericula ex assidua
 Diaboli tentatione. Pericula ex passio-
 nibus: pericula ex inclinationibus: peri-
 cula ex vitiis, pericula ex divitiis; peri-
 cula ex sociis: pericula ex subditis: peri-
 cula in hospitibus: pericula in viis: peri-
 cula

cula
 & ubi
 quæ
 quæ
 U
 num
 det L
 medi
 una
 Can
 es: n
 ligna
 tum i
 tum
 statu
 Omi
 cessu
 nostra
 bund
 ne, q
 ut m
 da su
 ti Tir
 si, cas
 cante

cula in prosperis: pericula in adversis:
& ubi non? cum ubique Diabolus, tan-
quam Leo rugiens circumeat, quærens
quem devoret?

Unde igitur Nobis in tantâ discrimi-
num multiplicitate securitas? Respon-
det Doctor Angelicus ex illuminatione
meditationis & considerationis, non
una alterave, sed quotidiana, imo ut
Canon innuit, aliquoties repetita indi-
es: nisi enim Sacerdos cordis sui Altari
ligna apponat in dies singulos, paula-
tim ignis fervoris extinguetur, quan-
tumvis Sacerdotii sui initio arserit. Te-
statur id S. Bernardus ferm. 3. de annunc.
*Omissâ consideratione: Tepescimus pro-
cessu temporis à fervore conversationis
nostra; paulatim refrigescit charitas: a-
bundat iniquitas; ut consummemus car-
ne, qui spiritu coeperamus. Inde enim est,
ut minus ea sciamus, qua à Deo donan-
da sunt nobis, indevoti pariter & ingra-
ti Timorem Domini relinquimus, Verbo-
si, curiosi, faceti, etiam detractores, va-
cantes nugis, fugientes laboris disciplina,
quoties*

quoties sine nota id licet, quasi vero confessim etiam sine noxa. Hæc ille.

Quo igitur depulsis periculis, salutis ac perfectioni nostræ & alienæ invigilemus tutius, à meditationis illuminatione securitas petenda atque accersenda erit. Hæc enim 1. est murus animæ Civitatem protegens ut ait S. Chrysoft. L. 2. de orand. 2. Hæc est Clypeus, contra Pharaonem styginum, omnia ejus ignita jacula repellens. S. Ambros. 3. est arx inconcussa & terribilis Dæmonibus, in quam penetrare nequeunt, S. Chrysoft. Orat. 2. de prec. 4. est gladius flammeus Cherubini, ante paradysum terrestrem (id est animam sanctam) consistentis, & adversarios avernales retundentis. Hesichius centur. 2. 5. Sagitta electa est, quâ hostem tartareum etiam eminus feriamus S. Ambros. serm. 86.6. est salutis anchora quâ defixa & nixa animæ nostræ cimba inter mundi procellas ac turbines submersionis & naufragii devitat discrimina. 7. Denique est armatura fortium & secura panoplia, quâ de cunctis animæ inimicis reportatur victoria,

victoria, Quare si decorem virtutum, ordinem operum, securitatem periculorum desideras, sequere consilium senis cuiusdam in vitis P. l. 3. c. 31. suadentis, *Attende meditationi tuæ, in timore Dei exurgens: tam mane, quam vespere, & impetum inimicorum non reformidabis.*

III. FRUCTUS.

Ignis animum accendens.

Tertius Ignis in meditatione excitari solitus est Ignis animum accendens, voluntatemque inflammans *In meditatione mea exardescet ignis*: Ignis autem proprium est, calefacere, succendere & inflammare. Cor iusti in meditatione, est instar speculi concavi, quod soli iustitiæ objectum, flammam concipit, & amore Dei ac proximi succenditur, succensus autem in medio cordis ignis ille divini amoris mox ex eo peccata depellit, lætitiâ ingerit, contra dæmones roborat, & hominem vetere exuto in novum

Q

trans-

transmutat. 1. peccata depellit, in ipsi
 enim meditatione ait S. Ambros. in pl
 38. *Ignis exardescit, non malus ignis qui
 adurat & non exurat; sed ignis, qui pec-
 catum minuit, & suo culpam ardore de-
 pascit: ideo & Dominus venit, ut ignem
 hunc in terram mitteret, qui illuminaret
 omnes, universorum studium accende-
 ret, crimen exureret.* 2. Hic ignis cor
 hominis latificat, non secus atque ignis
 naturalis calore suo corpus frigore al-
 gens fovet ac recreat, & ut vinum me-
 rorem eliminat, tristitiamque abstergit
Meditatione inquit S. Laurent. Justin
 de cast. connub. p. 314. *abscedit tristi-
 tia, fugatur tentatio, renovatur sensus,
 virtus debilitata roboratur, excitatur
 fervor, vitiorum rubigo consumitur, ce-
 lestium desideriorum scintilla emicant, &
 divini amoris flamma succrescit.* 3. Hic
 ignis si ardet in nobis, lucet Angelis &
 recreat, Dæmones urit & cruciat: testa-
 tur hoc ipsum S. Maximus Homil. 43.
*si fuerint Dæmones fortes robore monti-
 bus haud dissimiles, ab oratione combu-
 rantur velut cera ab igne: sunt enim ve-*
 lut

lut muscæ, quæ in hac flamma aduruntur & pereunt, 4. hic ignis si fervet in nobis, miram Metamorphosin agit, superbos in humiles, veteres in novos, tepidos in ferventes, in venustos homines deformes transmutat; dum ab hoc igne velut à sole illustrantur & inflammantur Dei amore. Ita scribit S. Chryso-
stomus Hoc sole mens illustratur, phœnicis instar Charitate uritur & consumitur, in humilitatis cinerem redigitur & se ipsa pulchrior & vegetior per fervorem reviviscit. O Ignis nobilis! ô potens flamma amoris! quæ tam mira raraque operaris in nobis! hujusne energiæ, efficaciam ac potentiæ experimenta exemplave desideratis?

Hoc igne illustratus & inflammatus fuit populi Israelitici Dux Moyses, dum in monte cum Deo colloquens ac divina meditans & contemplans, è vultu splendorem & jubar instar cornuum evibravit, Gen. 34. 29. hoc igne illustratus & inflammatus extitit Patriarcha Isaac, *Qui egressus fuerat ad meditan- dum in agro inclinata jam die* Gen. 24.

63. quando ut docet S. Ambrosius L. de Isaac. c. 1. non res naturales duntaxat, & motus cursusque siderum, verum etiam eorum authorem & motorem Deum, aliàque divina ruminabat, ut in eorum amorem inardesceret. Hoc igne illustratus & inflammatus fuit Rex David, ut diximus, quando æternitatis adyta ingressus, & in divinorum judiciorum abyssum raptus veterem hominem exiit, & novum induit, mutatione dextræ Excelsi; Hoc igne illustratus & inflammatus S. Ephrem qui præ incendiis amoris & dulcedinis magnitudine vasculum suum (id est corpus suum) rumpendum metuebat, Hoc igne illustratus & inflammatus magnus Augustinus quando in meditationibus suis, in soliloquiis & manuali C. 2. in has erumpebat voces ardentes. *Tui O Deus amore teneor, tui desiderio flagro, tui dulci memoria delector, cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet, & totus spiritus ex visionis tue seculari desiderio accensus invisibili amore rapitur.* Hoc igne illustrati & succensi fuere S. Phi-

Philip. Nerijs alijque sexcenti, quorum
pectora ex meditationis igne colliquef-
centia, & amore divino æstuantia ma-
didis linteolis refrigerare, aut dilatate
aut tunicam pro refrigerio diloricare ac
aperire necesse erat,

Tangimur ne & nos *Domini Confra-*
tres hujus ignis desiderio? meditationi
laxemus habenas, & incalescet quoque
cor nostrum ignisque suscitabitur, qui
noxas depascit, corda exhilaret, Dæmo-
nes urat, & nos velut Phœnices absu-
mat, atque in homines novos transfor-
met.

Verum, quandonam & quoties fan-
cto huic meditationis exercitio nos des-
demus? Canon noster innuit *aliquoties*
per diem. Salvo meliore, tempora oportu-
niora remur sequentia, Primum est
matutinum, cui David insueverat. *In*
Matutinis meditabor in te ps. 62. 7. Al-
terum meridianum sive pomeridianum,
quo nos contra Dæmonii meridiani as-
sultus & jacula obarmemus, Tertium
vespertinum cum Isaaco *inclinata jam*
die. Vespere & mane & meridiè narrabo

Q 3

&

& annuntiabo ps. 54. 18. Quartum est Nocturnum, si quando somnus ab oculis fugiat, idque cum psalmista, *Anticipaverunt vigilias oculi mei, & meditatus sum nocte, cum corde meo.* ps. 76. 7. Quintum ante Sacrificii divini oblationem, ut tanti mysterii consideratione frigore depulso mens incalescat: ut monet Doctor Seraphicus: *Cum Sacerdos fuerit totus alteratus atque inflammatus nil nisi Deum cogitans tunc accedat.* Sextum est, ante concionem: Vix enim Ecclesiastes populi intellectum convincet nisi suum ante meditando convicerit; vix Auditorum voluntatem accendet nisi suam ante inflammaverit, ardeat orator, qui vult accendere plebem. Septimum in itinere ad infirmos, sanctique viatici deportatione: tunc enim cœlestis, quem gestamus, Medicus, Dux æternitatis, Ignis Eucharisticus (*Deus enim noster ignis consumens est* Deut. 4.) ejusque infinita potentia, sapientia, bonitas, caritas, justitia, misericordia, cæteraque attributa; amplum meditandi campum, dum campos pertransimus, nobis suppeditabunt, atque ita Canonis nostri præscripto fideliter respondebimus. Qua-

Quapropter *Rev. Adm. Rev. ac Ven. DD.*, ut ignis hic triplex in meditationibus nostris exardescat, indies constanter cordis nostri Altari tanquam foco, ligna nonnulla, id est cōsiderationis puncta tū è vita ac passione Domini, tum è vitiorū, Virtutū & novissimorū materie depropria apponamus, meditando insufflemus, donec ignē id est igneos affectus & virtutū actus suscitemus. Quod si stabiliter præstiterimus ignis ille aspirante Spiritus S. gratia, triplicem effectum, paulo ante declaratum in nobis fortietur.

1. Primò enim, anima nostra, non secus atq; aurū in igne à peccatorū & vitiorū scoria emūdabitur, meditatione æternitatis, mortis, iudicii, inferni ac cœlestis gloriæ, omnis superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, iræ & invidiæ nec nō acediæ rubigo consumetur, via ad virtutes sternetur, novæq; vitæ basis collocabitur, dicendo cum *Regio Vate Dixi nunc cœpi*: ut ex adverso, destituti meditationis præsidio rerum spiritualium nausea laborabimus, sub pondere laboris fatiscemus, in fluctus indignationis assurgemus, diversarum æstu cupiditatum inflammabimur, &

Q 4 instar

instar tritonum in testis per varios affectus passionumq; turbines circūagemur.

2. Deinde ex illo meditationis igne, mens nostra illuminabitur, ex illuminatione vero primo decor prudentiæ, sapientiæ, justitiæ, castitatis, devotionis, cæterarumque virtutum in animam derivabitur. Deinde operum quotidianorum directio, discretio, compositio, coordinatio, ac perfectio una cum intentione sincerâ, accuratatione eximia, fervore intenso, indiesque magis ac magis proficendi desiderio subsequetur, Denique contra tot retia statui clericali annexa, contra pericula innumera à mundo, carne, Dæmone injecta, & sive ex rebus sive ex personis, sive ex occasionibus orta obarmabimur. Meditatio enim murus est nos protegens, gladius nos defendens, clypeus tela retundens, arx hostes excludens, sagitta eminus feriens, anchora à naufragio custodiens, panoplia de cunctis inimicis victoriæ palmam reportans.

3. Ad extremum ex hoc meditationis incendio, animus incalcescet, & voluntas excitata ac mota, flammam concipiet; quarum vi & energia, peccatum ejus mun-

mundabitur, culpa delebitur, cor exhilarabitur, tristitiâ abstergetur, sensus renovabitur, virtus roborabitur, anima nostra à tepore ad fervorem excitabitur, & cum Moyse, Isaaco, Davide, aliisque sanctis illustrata ac succensa in Dei conditoris sui amorem abripietur, quem quidem in hac vita auspicabitur sed in altera summa cum voluptate, felicitate ac beatitudine prosequetur, quia tota aternitate non abrumpetur nec sufflamminabitur.

CANON XIII.

Hortatur Confraternitas, ut semel in anno, ab externis negotiis & conversationibus, ad dies aliquot se retrahant & in pio hoc secessu per spiritualia exercitia, teporem omnem ejiciant, & spiritum recolligant.

EXPOSITIO

REX David cum Absolonem Achitophelem ceterosque hostes suos fugiens tristitia ac timore constringi & ligari se sentiret, alas columbinas assumere cupiebat, ut hostium manus celerius

effu-

effu-

effugeret, in locum tutum transvolaret, atque ibidem securè conquiesceret. *Quis* inquit, *michi dabit pennas sicut columbae & volabo & requiescam?* psal. 54. v. 7. Quod ipsi in votis fuit, feliciter obtinuit: mox enim subdit: *Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine* v. 8. Elongavi fugiens è Jerusalem civitate regiâ, & transito, celeri gradu Jordane, mansi in solitudine, in campestribus deserti propa Jericho, ubi quietem reperi.

Typum sanè hîc præclarum, seu figuram animæ sanctæ, animæ Clericalis, Sacerdotalis, ac Pastoralis exhibet dictus Rex Sanctus; quæ mundi, carnis, ac Diaboli persecutiones, una cum vitiis & concupiscentiis evadere optans, in columbam mysticam transformari, ejusque innocentiam, puritatem, simplicitatem, candorem, castitatem, mansuetudinem, charitatem, & bonorum operum fecunditatem, induere desiderans, alas columbinas efflagitat, & cum psalte Regio ingemiscit: *Quis mihi dabit pennas sicut columbae & volabo, & requiescam?*

cam? Verùm quonam volabit, ut desideratam animi tranquillitatem reperiat? in sacram asceseos solitudinem. *Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine.* Secedat tantisper à populi strepitu, fugiat negotiorum molem curarumque domesticarum turbam, & abdat se in sanctam solitudinem, ubi spiritum exerceat, orando, meditando, examinando, mentem excolat; ut pacem serenitatemque animi desideratam recuperet.

Vario autem ex capite timor, anxietas, inquietudo & turbatio in animo Clericali nascitur. 1. Dum quis de statu vitæ eligendo anxie deliberat. 2. Dum dignitatis & officii recenter obtenti partes integre explere desiderat. 3. Dum vitam hactenus male transactam corrigere exoptat. 4. Dum teporem excutere ac mentem recolligere intendit. 5. Dum ad felicem ex hac vita transitum se comparare statuit. Atque hæc sunt quinæ in solitudinem secedendi ascese inque sacram instituendi causæ, occasiones, & tempora: simulque finis effectus & fructus.

exercitiorum. Quos præfenti expoſitione Canonis tertii decimi , more noſtro explanabimus.

I. *Primus* exercitiorum ſpiritualium fructus eſt *recta ſtatûs electio*, dum enim Eccleſiaſtica aut Clericalis vitæ candidatus, de ſtatu vitæ eligendo deliberat, ingens nonnunquam anxietas & perplexitas animum ſollicitat: Conſtitutus quaſi in bivio Herculis fluctuat, & cui vento vela obvertat, ignorat. Hinc mundus honorum titulos, divitiarum acervos, voluptatum illecebras oſtentat & allicit: Inde Chriſtus Dominus ſua in ſtatu Clericali ſervitia, ſacrificia, pſalmodiam cœteraque Sacerdotalia ac Parochialia munia proponit & invitat. Ex his eligendum eſt, atque ex electione rite aut perperam factâ maxima ex parte dependet lætitia cordis, conſcientiæ pax, recta vitæ gubernatio, ac demum beatitudo ac ſalus; aut vice verſâ, flumina triftitiæ, errorum, inquietudinum ac turbationum procellæ, ac denique non rarò infelix exitus atque interitus ſempiternus.

Quisquis hic impetu fertur non ratione,
in-

incurrit in scopulos & certissimum nau-
 fragium. Æqualis enim periculi est, ca-
 piti martiali ac militari tondere coro-
 nam & Clericali imponere galeam; paris
 incommodi est ad clerum vocato obtru-
 dere conjugium & hominem munda-
 num vitiosumque admittere ad Sacer-
 dotium. Quot enim implicarunt se vin-
 culis connubii, qui postea in perpetuis
 litigiis & mœroribus vixere; & curis la-
 boribusque catenatis ac ferreo necessita-
 tis nexu astricti pressique in quotidia-
 nam erumpere nœniam coacti sunt: *Non
 possum tecum vivere nec sine te.* Atque ita
 post vitam miseram frequenter in per-
 petuas devolvuntur miserias. Ex adverso
 quàm multi statui Ecclesiastico se se ad-
 dixerunt vel ultrò, vel pinguioris fortu-
 næ causâ, vel inviti, ab iis adacti, quorum
 reverentiæ, omnia se debere censebant
 & prorsus infeliciter Clerici togâ tenus,
 ut quidam Philosophi amiculo; simia in
 purpura, felis in crocotâ, qui melius in
 sago vel chlamyde incessissent; ut scan-
 dala plurima damnationisque æternæ
 pericula taceamus.

Q

Quò

Quò igitur rectè eligas errorisque pe-
 riculum evites, quid consilii? quid agas?
 ut audire merearis quid in te loquatur
 Dominus? imitare Davidem, pennas assu-
 me & vola: elongare à Domesticis, fuge
 populi strepitum, abdere in solitudi-
 nem: ibi posito ob oculos creationis fi-
 ne, considera vocationem tuam, pro-
 pensionem, talenta, vires, aliásque dispo-
 sitiones: ibi perpende quid humeri tui
 ferre valeant, quidve recusent, ibi ratio-
 nes pro & contra examina & ad æterni-
 tatis bilancem appende: ibi regulas bo-
 næ electionis in exercitiis istis tradi soliti-
 tas, easque præclarissimas applica: &
 amplectere monitum Doctoris melliflui,
 datum Thomæ Præposito. Epist. 107.
*Si cupis cœli vocem audire, secede; & hu-
 ic voci Dei tui aurem præpara internam:
 fuge curam externam, ut expedito &
 vacante interno sensu, dicas & tu cum
 Samuele: loquere Domine, quia audit
 servus tuus: Vox hac non sonat in foro;
 sed nec auditur in publico: secretum con-
 silium, secretum querit auditum: auditus*



no gaudium pro certo dabit & letitiam,
si sobriâ aure perceperis.

II. Alter exercitiorum spiritualium
fructus est recta impositi muneris, curæ
animarum, aut prælaturæ administra-
tio. Geminam ejusmodi prælaturæ præ-
ferunt faciem, alteram externam, inter-
nam alteram: externa ostentat honores,
divitias, aliâque vitæ præsentis commo-
da: interna verò exhibet, obligationem,
curam animarum & onus horrendum
de singulis animabus sibi commissis, red-
dendi rationem: secundum illud Apo-
stoli ad Hebr. cap. 13. 17. *Obedite Præ-
positis vestris, & subjacete eis: ipsi enim
pervigilant quasi rationem reddituri pro
animabus vestris, scilicet in magno illo
& decretorio die, coram Angelis & ho-
minibus reddituri sunt rationem de ani-
mabus curæ suæ concreditis; dum enim
officium ejusmodi acceptant, animam
suam pro illis quodammodo oppigno-
rant, ac pro iisdem mortis æternæ periculo,
si negligentes fuerint, sese exponunt. Ut
igitur onus illud minuant, periculum sa-
lutis evadant, sibi commissos per virtutis
sem-*

femitam ad beatitudinem æternam perducant & jam supra Candelabrum in Ecclesia Dei collocati vitiorum tenebras dissipent, & virtutum radios, quaquaversum diffundant; quo medio, adminiculoque id obtinebunt? Cum Davide columbinas sibi adaptent alas, volitent & requiescant in sancta asceseos solitudine: ibidem orationi & meditationi dum vacant, finem creationis & vocationis suæ ritè expendant, obligationem sui muneris considerent, leges gubernandi animas sibi commissas præfigant, sumptus in familiam & famulitium, nec non in sustentationem propriam, moderatos constituent: eleemosynas, secundum facultates suas, designent. Hac ratione solitudo hæc erit illis Domus Dei & porta cœli: schola virtutis, palæstra victoriæ, castrum adversus pericula, bonorum omnium, & ipsis & subditis fons atque ærarium.

Præclaro, Prælati ac populi ducibus exemplo præluxit Moyses, qui longo tempore in deserto, suæ perfectioni vacavit; antequam populi Israëlitici ducatur

tum

tum ac regimen capefferet. Præluxit S. Christi Prodrumus & Baptista Joannes, prius in eremum secedens, divinisque meditationibus & contemplationibus, amore divino & animarum zelo se inflammans, quàm ad Jordanem, pœnitentiam prædicaturus & baptizaturus concederet. Præluxit etiam Redemptor noster Jesus Christus, qui ipsos quadraginta dies in deserto, in recollectione, oratione, contemplatione & jejunio traduxit, priusquam prædicationis auspicaretur officium. Fuitque secessus iste præstantissimus, quo Sathanam ad pugnam elicuit, ac gloriosè detriumphavit, atque ita exercitia nostra fundavit. Præluxère quoque Apostoli: qui antequam Evangelii disseminandi munus adirent, in cœnaculum se se recipere, dies omnino denos, in ascesi sacra orando, suspirando, meditando, contemplando, spiritum sanctum postulando, insumpserunt; atque ibidem lumine mysteriorum fidei maximo perfusi; cordibus & linguis, igne divino charitatis & zeli inflammatis, instructi, prodière foras, dispersique

persique per orbem terrarum , tantam piscium multitudinem in sagenam Christi invexerunt. Præluxit pariter S. Paulus Apostolus , quem cum in vas electionis ordinaturus esset Dominus , prius Damascum deducendum curavit , in triduanam solitudinem apud Ananiam coniecit , ut orando , jejunando , & in itinere visa , auditæque considerando , ad fidem ac baptismum se disponeret , & quasi in utero adolesceret foetus , & formaretur in hominem Dei , in Apostolum , & vas electionis.

Hos primipilos Heroes & zelatores animarum , imitatus fuit Magnus Basilius , qui in solitudinem ponticam ad ripam Iris fluminis secessit , eo fine (ut ipse refert Epist. 79.) ut mores suos componeret , sacrarum litterarum studio vacaret , cum Angelis versaretur , & modum alios regendi , ac perficiendi , meditando addisceret ; itaque nesciens ad Episcopatum , qui à Deo ipsi destinabatur , se compararet . In pontica igitur solitudine , velut in pharetra sua Deus S. Basilius & S. Gregorium Naziansenum , quasi sagittas

gittas electas abscondit , ut eos spiritu
 ibidem concepto plenos , opportuno
 postmodum tempore tanquam novos
 Joannes Baptistas educeret , ad facien-
 dam vindictam in nationibus, & incre-
 pationes in populis. Et ne vetera tantum
 recenseamus , idem præstitit Reveren-
 dissimus Dominus Henricus Franciscus
 Archi - Episcopus Cameracensis S. R. I.
 Princeps, ut refert Cornelius à Lapide in
 pentat. Ubi enim is nuntium de Episco-
 patu obrinuit, plurium dierum spatio in
 secretum se abdidit , ubi cum solo Deo
 ageret, futurum onus perciperet, diffi-
 cultates & tempestates, eminus quasi ex
 specula prospiceret , seque contra eas
 muniret & armaret, atque leges tum fa-
 miliam, tum Episcopatum, piè & sanctè
 administrandi , sibi ipsi præscriberet.
 Quo exemplo complures ad imitatio-
 nem pertraxit, ut Episcopale munus adi-
 turi, prius in sancta solitudine, magnâ a-
 nimi sui consolatione, magnòque suo &
 Ecclesiæ bono se compararent.

Imi-

Imitentur illustria Christi & Sanctorum exempla animarum Curatores, Decani, aliique Prælati, requiescant paulisper in cubiculo, & orent Patrem cœlestem in abscondito: maneant ut loquitur S. Bernardus, in cellula, ubi Deo fruantur, officii sui partes considerent & ordinent, atque ita velut in cœlo versantes cum Angelis, eosdem exhilarent. Cellæ & cœli [ait dictus Doctor mellifluus Epist. ad Fratres de monte Dei] habitatio, cognatæ sunt, sicut enim cœlum & cella adinvicem videntur habere aliquam cognationem nominis, sic & pietatis. A celando enim cœlum & cella nomen habere videntur: & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis. Quod quæritur in cœlis, hoc & in cellis. Quidnam est hoc? Vacare Deo, frui Deo. Quod cum piè & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, sancti Angeli Dei, cellas habent pro cœlis, & æque delectantur in cellis ac in cœlis.

III. Tertius asceseos sacræ fructus est, vitæ, morumque emendatio. Si quis enim se vitam, à Sacerdotii dignitate
alie-

alienam, peccatis & offensis Dei refer-
tam duxisse hactenus sentiat; & aut vitæ
brevitate aut numinis supremi metu, aut
funerum quotidianorum conspectu,
alióve motivo perculsus ad frugem me-
liorem redire aveat: ad exercitiorum lo-
cum, tanquam ad asylum confugiat: &
dierum aliquot intercapedine à mundi
turbis sejunctus conquiescat: aptissi-
mámque vulneribus ac morbis suis me-
delam reperiet, animæque puritatem,
pacem, & tranquillitatem recipiet. Hic
in solitudine & quiete, vitæ suæ fædita-
tem consideret, ut gemat plangat & lu-
geat. Hic Deum offensum, iratumque si-
bi ob oculos ponat, ut placet & miti-
get. Hic ruminet finem suum, ut ad eum
redeat, perfidiam suam agnoscat, ini-
quitate defleat. Hic mortis memoriam
refricet, mortis certitudinem & incerti-
tudinem animo volvat, mortem justo-
rum pretiosam, peccatorum pessimam
perpendat. Hic judicii divini rigorem
dispiciat, in quo omnia judicabuntur
sine personarum acceptione; omnia
condemnabuntur sine remissione; omnia

pu-

punientur sine commiseratione. Denique hic vivus descendat in infernum; & mentis oculis hanc patriam desperatorum, hanc regionem lachrymarum, hunc locum tormentorum intueatur; & vitam sine morte, laborem sine quiete, dolorem sine intermissione, ignem sine extinctione, omnium malorum illiadem sine fine, deprehendens, totus paveat, contremiscat & expallescat.

Atque ita percussus & timoris salutaris jaculo transfixus ad exhomologesin totius vitæ sese accingat, vitæ suæ rationes ineat, delicta ad calculum & trutinam revocet, quam fœda fuerit cloaca, quàm tetrum & putridum ulcus & apostema fuerit, agnoscat ex quo tanta peccatorum sanies effluxit; & intime compunctus doleat, vitamque in melius commutare, quàm firmissimè statuatur. Sedeat, cum Davide, similis factus pelicano solitudinis, ob animi angorem & dolorem, hominum consortia fugiens tanquam nycticorax in domicilio, tenebris se involvens & tanquam passer solitarius

in

in tecto, pro peccatis suis, eorumque
venia clamare non cessans.

O Peccatrix anima, iræ filia, Dei ini-
mica, Diaboli famula, titio infernalis !
quis tibi dabit pennas, ut voles & requi-
escas, manens in sancta solitudine ? ut
peccata defleas & prædictos thesauros,
& vitam æternam reperias ? Vince te,
hominum diæteria sperne; negotia tan-
tisper se pone, & cum Deo tuo in solitu-
dine sancta reconciliare : sequere confi-
lium, salutem tuam sincere quærentis a-
mici, & lætaberis : peractisque exerciti-
is, à criminum sordibus expiatus, cum
S. Gregorio Nazianzeno, Deo grates re-
ferens exclamabis: *O Cella spiritualis, ex-
ercitii mirabilis officina ! In qua humana
anima Creatoris sui imaginem in se re-
staurat, & ad suam redit originis purita-
tem ! Tu das ut homo Deum mundo corde
conspiciat ; qui suis obvolutus tenebris,
Deum & seipsum ignorabat. Tu facis,
ut homo in mentis acie constitutus, cun-
cta sub se videat terrena defluere ; se
ipsum quoque prospiciat, in ipsa
rerum*

rerum labentium decursione, transire. O solitudo sancta! tu mors es vitiorum, tu fomes & vita virtutum! tu balneum animarum, purgatorium sordidorum, conciliabulum Dei & hominum! Tu scala Jacob, quæ homines vehis ad cælum, & Angelos ad humanum deponis auxilium. Tu fornax ubi superni Regis vasa formantur, & ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ percussa, ac limâ salutifera correctionis erasa perveniunt.

IV. Quartus sanctæ hujus solitudinis fructus est, animi recollectio, fervoris flaccescentis instauratio, virtutum augmentum, teporis & languoris exilium. Quotidiana docet experientia, tam infesso studiorum labore, quam negotiorum variorum mole spiritum intepescere, orationis ac meditationis ardorem remittere, spiritualium functionum & exercitiorum usum obtundi ac velut hebescere; & animam, quasi, pabulo subtracto emaciatam languescere. Quid verò hic rursus consilii! quid adhibendum antidoti? Assume pennas, & cum Davide, vola in sacræ asceseos eremum;

&

& animi cogitationes dispersas recolliges, virtutes acues, fervorem deperditum reaccendes. Quemadmodum culter usu quotidiano hebescit, & subinde ad cotem exacueendus est, ut chalybs & acies obtusior reparetur: ita anima Ecclesiastica, à quotidiano rerum negotiorum & conversationum usu, paulatim obtusior reddita, indiget ut rerum cœlestium & æternarum meditatione, velut cote acuatur. Et quemadmodum homines mundani, ad corporis sui refectio- nem, præter ordinariam & quotidiana- nam cibi sumptionem, extraordinarias quandoque instituunt recreationes & convivias; in quibus lautius, largiusque genio suo indulgeant, sic æquum omnino est, ut in Clerum ac sortem Domini cooptati, præter quotidianas preces, meditationes, & spiritûs refectio- nes, extraordinarias quasdam festivitates spirituales & epulas adornent; in quibus animæ ipsorum, non ad mensuram aut dimensionem, ut aliis diebus, reficiantur; sed maiore abundantia, ubertateque dulcedinis & gratiæ Dei repleantur. Id ipsum quo-

R

que

que nos Natura ipsamet edocet , quando rore , quot noctibus stillatim decedente haud est contēta ; sed exigit præterea , ut pluviaꝝ integro nonnunquam die aut hebdomade , continuo decidentis humore terra largius inebrietur. Neque id absque causa : ut nimirum hæc ratione ab aquis ita penetraretur atque immadescat , ut eam nec æstus solaris , nec ventus urens superveniens queat arefacere. Ad eundem modum , par est , animas cultui divino dicatas , præter communem & quotidianum rorem , certa habere temporum intervalla , quibus ita cœlesti , precum & meditationum imbre perfundantur , & medullatæ devotionis succo adimpleantur ; ut nec occupationum externarum æstu , nec tentationum irruentium vento , nec mundi successibus ; sive prosperis , sive adversis exarescant. Atque hoc est , quod occupationum nostrarum non ignara ac de profectu nostro sollicita Confraternitas nostra in Canone præsentis allegat , ut nimirum teporem excutiamus , spiritumque per varia distractum , & dissipatum recolligamus. Præ-

Præclarum recollectionis hujus exemplum cernimus in Apostolorum Collegio: cùm enim hi se totos proximorum auxilio ita impenderent, ut vix cibo sumendo tempus eis suppeteret: tanta scilicet erat hominum ad ipsos confluentium multitudo; Audierunt ab optimo Magistro suo: *Venite seorsum, in desertum locum, & requiescite pusillum*, Marci. c. 6. 31. Voluit nempe benignissimus Salvator, Discipulos suos à molestis laboribus non nihil quiescere, atque interim animum recolligere, & componendis animi motibus vacare.

Apostolorum vestigiis institit S. Carolus Borromæus, Mediolanensis Archiepiscopus, qui sub vitæ sanctioris primordium semel quot annis binas hebdomades, ac postmodum binis in anno vicibus tantundem temporis in sacram ascesin insumebat, eâ animi recollectione, fervoris instauratione, & virtutum augmento, ut multi hanc primam sanctimoniam ejus scaturiginem extitisse testentur. Idem quot annis in more positum fuit scientiâ & virtute Eminentissimo



Cardinali Bellarmino, quando menssem integrum exercitiis spiritûs dando, ad mortem felicem, æternitatemque beatam sese comparabat; idem hodie dum præstant innumeri tum Ecclesiastici, tum variorum ordinum Religiosi; qui annuè octo vel decem dierum ascesi, spiritum excolunt, fervorem instaurant, animi affectus paulatim ad terram terrenaque tendentes, tanquam horologii pondera, sursum attrahunt, & ad cœlestia attollunt, tanto animæ emolumento, ut ad conservandum primævum spiritum, ardorémque devotionis fovendum nihil efficacius reperiri posse videatur.

Æmulemur & Nos DD. Confratres charismata meliora, & annuè aliquot dies sancto huic exercitio deputemus, & non absimiles fructus & flores ex eo decerpemus: & quod de Eremo sua de prædicavit. S. Gregorius Nazianzenus in Tract. de laude Eremi; idem Nos solitudini seu ascesi nostræ merito applicabimus: *Solitudo cœlestis doctrina est scholasticæ ac divinarum artium disciplina, illic*
Deus

Deus est totum quod discitur, via qua
 tenditur, totum per quod ad summa ve-
 ritatis notitiam pervenitur. Hec est para-
 disus deliciarum, ubi spirant ornamenta
 virtutum: ibi rose charitatis igneo rubo-
 re flammescunt: ibi lilia castitatis niveo
 candore candescunt; cum quibus etiam
 humilitatis viola: ibi myrrha mortifica-
 tionis, non solum carnis, sed quod glorio-
 sus est propriae voluntatis exundat, &
 thus assidua orationis indefinenter ema-
 nat.

V. Quintus denique secessus & recol-
 lectionis sacrae fructus est ad mortem fe-
 licem, beatamque aeternitatem praepa-
 ratio. Regibus & Principibus usitatum
 est ab aëconomis, quaestoribus, & aërarü
 praefectis officio suo defuncturis, acce-
 pti, expensique rationes exactas repos-
 cere. Omnes quotquot Deo & Ecclesiae
 servitio mancipati sumus, villicum agi-
 mus de acceptis, expositisque talentis
 Deo rationem strictam reddituri, quan-
 do à supremo Patre familias audiemus:
Redde rationem villicationis tuae; jama e-
nim non poteris amplius villicare, quo-

niam vitæ meta appropinquat. Ut igitur rationes nostræ sint perfectæ & integræ, assumendæ sunt alæ columbinæ, volandum in solitudinē, secedendum à strepitu ac turbis, ut calculum ineamus, ad vitæ totius rationes conficiendas sedulò incumbamus, atque ita ad mortem sanctam, beatamque æternitatem studiose nos præparemus.

Quæ causa movit Carolum V. Imperatorem, ut novo & in audito ferè isto sæculo exemplo, abdicatis tot regnis in solitarium locum se reciperet, ubi liber à turbis & curis, totus sibi & Deo vacaret: atque ad instantem mortem, vitamque beatam se disponderet: uti re ipsa præstitit, perstititque usque ad mortem; verè valens dicere: *Elongavi fugiens & mansi in solitudine*. Major in suo eremo, quàm in imperio, quia major mundo, æquè ac se ipso. Eadem causa impulit Innocentium XII. Pontificem Maximum Anno 1700, ut paulò ante obitum per ascesin sacram ad mortem ipsam sese præpararet, quando in ferventissima cum Deo colloquia

&

& affectus ardentibus erupit, & inter cætera palam professus est: quanto nunc mihi satius, meliusque foret, si binos fratres meos ad ordinem religiosum secutus, & in eo potius ostij, quam cæli claves moderatus fuisset. Simile quid optavit morti propinquus Philippus III. Hispaniarum Rex inclytus, Anno 1621. pie defunctus. Is ea justitiæ, Innocentiæ, pietatisque laude vitam traduxit, ut obfirmatum haberet, omnia potius regna amittere, quam Deum O. M. vel veniali delicto offendere: & tamen in mortis agone rarionem regni administrati mox Deo reddendam penitus considerans, & expavescens; iu has voces erupit. *Utinam nunquam Rex fuisset! utinam annos in regno actos privatus exegisset in Eremo! utinam vitam solitariam cum Deo duxisset in Thebaide!* quam nunc securius morerer, quanto fidentiùs ad Dei tribunal pergerem.

DD. Confratres nos quidem vocati à Deo non sumus ad vitam in Eremo perpetuò ducendam, sed ad luera animarum, & proximorum auxilia: suaden-

dum tamen nobis est, ut quandoque per
 dies aliquot solitudinem sacram intre-
 mus, ætate præsertim grandæva; ut ad
 felicem transitum atque ad beatam æter-
 nitatem nos accingamus: admonent nos
 anni, invitant cani: quod enim senescit
 atque canescit, propè interitum est: igi-
 tur maturè liquidas reddamus rationes
 nostras: sæpe nobis inclamemus & oc-
 cinamus: quod Cornelius Musius, illu-
 stris, ævo priore, Delfis in Hollandia
 Martyr in laudem solitudinis cecinit;
 hanc patheticam addens clausulam.

Vive ut vis: sed cum ægrotabis,
 Iustis lacrymis damnabis
 omnes mundi infulas.

Et cum morti propinquabis
 Tunc, sed serò provocabis
 Ad beatas cellulas.

O beata solitudo!

O sola beatitudo!

Piis secessicolis!

Quam beati candidati,

Qui ad te volant alati

Porro à mundicolis.

Quæ

Quæ cum ita sint Reverendissimi Admodum Reverendi ac venerabiles Domini, qui Asceseos sacræ delicias expertus jam est, crebrius ad eas revolet: qui verò nondum, nescio quibus frivolis de causis eas degustavit, suspiret cum Davide: *Quis mihi dabit pennas & volabo & quiescam in solitudine?* & quidem 1. si quis de vitæ statu eligendo deliberet, ne in tanti momenti negotio unde felix aut infelix dependet æternitas, aberret, in solitudinem sacram se abdat, bonæ electionis regulas in eâ tradi solitas rite perpendat, & audiat quid loquatur Dominus. 2. qui curâ animarum, aut Prælatura dotatus omnes officii sui partes absque salutis propriæ dispendio exple-re desiderat, S. Joannis Baptistæ, Christi Domini SS: Apostolorum aliorumq; virorum Sanctitate illustrium exemplo, cubiculo se includat, difficultates prospiciat, cuncta ritè ordinet, contra pericula se obarmet, ut manus impositum rite administret. 3. Si quis, quod procul absit à nobis ætatem suam in vitiis triverit, veternum excutiat, in solitudinem

R s con-

confugiat, novissima perpendat; ut veterere exutô novum hominem induat, & in æternum gravius non delinquat. 4. si quis inter studiorum curas aut negotiorum tumultus animum suum distraetum dissipatumque esse advertat; exercitii spiritualibus vacet ut se recolligat teporem excutiat, fervorem acuat, & vires spiritûs instauret. 5. denique si quis ætate & senio gravis jam prope interitum est, is in sacro secessu rationes vitæ suæ subducatur. Domui suæ disponatur. Ad mortem beatam ac felicem æternitatem se comparet; hac ratione cum Davide volabit, & requiescet hic in pace, ibi in perpetua beatitudine. Itaque volate & requiescite in quiete. *Videte vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit, nescitis quando Dominus Domus veniat serò an mediâ noctè, an Galli cantu, an mane; ne cum venerit repente inveniat vos dormientes.* Marc. c. 13.

CANON

CANON XIV.

Habeat quisvis Confratrem probata
 vita, qui affectuose & suaviter seu
 literis, seu verbis moneat & corrigat; si
 quid r^u nus decorum aut ipse notaverit,
 aut fama divulgaverit; qui & in extre-
 mis assistat, & obitum Confraternitati
 denuntiet.

EXPOSITIO

SI Ecclesiam, cœtumque fidelium,
 imo quemvis Christianum, scriptu-
 ræ divinæ templum Domini nuncu-
 pant: quidni & nos Sodalitium nostrum,
 plus quàm quingētis Fratribus constans,
 sanctum Dei Templum esse dixerimus;
 cui illud Apostoli quadret: *Templum*
Dei sanctum est, quod estis vos? 1. Co-
 rinth. 3. 17. Templi hujus quasi colum-
 næ sunt Præsides; lapides, reliqui
 Domini Confratres, mutuæ chari-
 tatis & unionis calce conjuncti.

R 6

De

De quolibet autem Templi hujus sancti lapide, certâ ratione, asserere posse videmur, quod de Sancto Sanctorum & justo Justorum, Zacharias Propheta vaticinatus est. c. 3. *Super lapidem unum septem oculi sunt: ecce ego calabo sculpturam ejus.* Super unumquemque Confraternitatis nostræ lapidem, septem oculi sunt, qui eidem invigilent: nimirum oculus Dei Patris, oculus JESU Christi, oculus Spiritus Sancti, oculus Beatissimæ Virginis, oculus S. Angeli Tutelaris, oculus Prælati aut Superioris, & oculus Confratris: qui omnes super lapidem unum, seu quemvis ex nobis sunt intenti ac vigiles: sic enim providentia divina salutis justorum negotium disposuit, ut alter alteri manum auxiliatricem præberet, atque in calando, corrigendo, poliendo ac exornando adjuvaret. Eum in finem Confraternitas nostra suadet & cohortatur, ut quilibet Confratrem probatæ vitæ eligat, qui tanquam oculus invigilet; & si quid minus decorum vel conspexerit, vel famâ vulgatum acceperit, affectuose

&

& suaviter commoneat : juxta Salvatoris doctrinam : *Si peccaverit in te Frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Matth. c. 18. 15. Ut igitur & Canonis consilium, & Redemptoris monitum, meliùs exequamur; in hac expositione, 1. Officium moniti sive monendi. 2. Officium monitoris. 3. Officium utriusque variis exemplis; declarabimus.

I. Officium moniti est, ut Confratrem eligat, benevolentia, prudentia, ac virtute præditum, à quo de delictis moneatur & corrigatur. Ea enim est humanæ naturæ fragilitas ac cæcitas, ut non rarò aut amore proprio, aut ira, concupiscentia, aliâve passione ita excæcet; ut pericula sua, aut peccata propria non agnoscat nec cernat, adeoque nec corrigat. Non videmus manticæ, quod à tergo est; in propriis defectibus talpæ, in alienis lynces sumus: ac proinde quanta sit fidelis monitoris utilitas ac necessitas, quis non perspicit? Rectè scribit S. Gregorius Naziansenus in tetrastichis:

R 7

Ocu-

Oculus tuetur cætera ; at se non videt.
 Ergo monitorem, rebus in cunctis habe:
 Manus requirit nam manum; pes pedem.
 Tanquam si diceret : quemadmodum
 manus manum, & pes pedem in ambu-
 lando adjuvat, ita Frater Fratri, Amicus
 Amico, Sacerdos Sacerdoti, ut lavetur
 à sordibus, & rectè incedat, se tanquam
 manum, pedemve exhibeat Neque so-
 lum magna ex eo nascitur utilitas; verum
 etiam felicitas censenda est, ejusmodi fi-
 dum reperisse amicum, qui ad animæ
 puritatem, bonæ faniæ, honorisque
 conservationem, ac perfectionem chri-
 stianam & Sacerdotalem nos promo-
 veat ; velut ex adverso non levis est Re-
 gum Principumque infelicitas, quòd
 hujusmodi monitore careant ; nec vel
 unus reperiat, qui illud S. Joan-
 nis Baptistæ ad Herodem acroama in-
 sinuet atque intonet ; *Non licet tibi.*
 quin potius, adulentur omnes, pal-
 pum & fucum faciant omnes, bonum,
 malum, & malum, bonum pronunti-
 ent. Horum è numero haud fuit San-
 ctissimus Dominus Clemens VIII. Pon-
 tifex

tifex Maximus; qui sæpius asseveravit, Cardinali Bellarmino, id circo illum à se ad purpuram, evocatum; ut haberet apud se vocem virtutis à qua liberè inter voces fallentes adulantis aulæ, audiret verum; ideoque injunxisset, monere serio, si quid adverteret pro Ecclesiæ bono posse consultiùs agi. Nec officio imposito defuit Cardinalis; sed iussa tam sancta Pontificis veneratus, dici vix potest, quantâ libertate, eo munere functus sit, quantumque suasionibus ejusmodi Ecclesiæ bono profuerit.

Cùm igitur tanta sit hujus admonitionis utilitas, necessitas ac felicitas, facile patet, quàm promptè ac placidè, admonitio sit excipienda; quàmque æquum sit, ut admonitus, non ægrè ferat non indignetur, succenseatque monenti; sed tanquam salubre pharmacum à medico benevolè porrectum, æquâ mente suscipiat. Oportet, ait S. Basilius c. 6. summ. 72. moral. *Reprehensionem & increpationem sic suscipere, velut medicamentum extirpatorium affectionis (inordinatæ)*

ordinatæ) & preparatorium sanitatis. Aspiciendo scilicet finem, quem Monitor aut corrector intendit, scilicet, utilitatem, emendationem, & profectum spirituales Moniti. Admirabile est, quod legimus Exod. c. 7. de Virga Moysis thaumaturga, quæ ab Aarone, coram Rege Pharaone, projecta in terram versa est in colubrum, & devoravit omnes serpentes Ægyptiorum. Colubrum hunc cum apprehendisset Moyses per caudam, rursus versus est in virgam, quæ tanto in honore habita est, ut una cum Libris Moysis posita fuerit, in tabernaculo fœderis. Virga hæc, velut symbolum aptissimum, correctionem & monitionem fraternam adumbrat, quam si animo illubenti atque amaro susceperis, evadit in serpentem ac venenum, quam oporteret esse medicamen & antidotum. Si verò per caudam apprehenderis, id est, si finem admonitionis attenderis, eamque prono, ac lubenti animo exceperis, evadet in virgam, quæ devoret virgas seu serpentes Ægyptiorum, dum imperfectiones, peccata vitia, pravæque

vasque consuetudines, ex mundi Ægypto, velut venenatos serpentes allata, abolet ac proscribit.

Quare Domini Confratres, si nondum elegimus fidum ejusmodi amicum, qui nos, si delinquamus, commonefaciat; illum nunc constituamus; eundemque rogemus, cum ipsi in vitiis ac defectibus propriis pervidendis, non raro cœcutiamus, ut siquid sinistri in nobis vel observaverit ipse, vel famam acceperit, liberè nos commoneat; admonitionesque animo libenti ac grato acceptemus, tanquam munus ab optimo amico profectum; cum Magno Gregorio dicentes: *Ab omnibus corrigi, ab omnibus emendari paratus sum, & solum mihi amicum estimo, per cujus linguam, ante districti judicis apparitionem, mea maculas mentis tergo.*

II. Monitoris verò officium est, ut terna illa, in Canone insinuata expleat.

I. *Si quid minus decorum in Confratre suo aut ipse notaverit, aut fama divulgaverit, affectuosè & suaviter seu literis seu verbis moneat & corrigat.* Nemo igitur

tur dicat: Quid Frater ille ad me? Nunquid custos Fratris mei sum ego? sed meminert, cuius illa vox sit: scilicet pessimi Cain, quæ Deo valde displicuit. Nemo, inquit Doctor Mellifluus serm. de Nativ. S. Joan. *Fratris vitia palpet, peccata dissimulet; Nemo dicat nunquid custos sum ego Fratris mei? est enim consentire, silere rem, quam arguere (& emendare possis. Et, scimus, quia similis pœna facientes manet & consentientes.* Unicuique enim Deus mandavit de proximo suo.

2. In monitione autem observet, quod Canon præscribit ut *affectuose* moneat, id est, non ex intentione sinistra aut qualibet passione; sed ex affectu benevolentiae & charitatis. *Quidquid enim lacerato animo dixeris,* inquit S. Augustinus, *Punientis est impetus, non charitas diligentis, Dilige & dic, quod voles.*

3. Deinde curet, ut moneat *suaviter*, velut Canon innuit. Docuit hoc S. Paulus Timotheum suum. 2. Tim. c. 4. 2. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia. Quæ verba exponit S. Prosper L. 2. de*

de vita contempl. c. 2. *Argue coequales, obsecra seniores, increpa juniores; sed propterea addit in omni patientia; quia leniter castigatus, exhibet reverentiam castiganti; asperitate autem nimia & increpatione offensus, neque increpationem suscipit, neque salutem.* Eandem suavitatem monenti inculcat S. Ambrosius L. 1. off. c. 2. *Monitio sit sine asperitate, & hortatio sine offensione. Si praoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, inquit Apostolus, ad Gal. c. 6. vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis.* Ut ostenderet, eos vehementer mites esse oportere, ait S. Chrysostomus in comment. non dixit in mansuetudine; sed in spiritu mansuetudinis. Corrige ergo Fratrem tuum in mansuetudine; ac mansuetudinis spiritu, Dæmonis incursionem accusans magis, quam animi negligentiam.

4. Si prima monitio effectu careat, non illico despondeat animum Monitor: non uno ictu domatur quercus, iterum iterumque monitio repetenda est: tametsi animo non omnino, benigno
&

& prono recipiatur. *Plus amat, objurgator sanans, quam adulator dissimulans*, ait S. Augustinus, qui rursus inquit: *Non omnis qui parcit amicus est, non omnis qui verberat inimicus: quia qui phreneticum ligat & lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat: at quamdiu sunt aegri indignantur; sed ambo sanati gratulantur.* Si primæ admonitioni non cessit, secundæ aut tertiæ fortassis cedit, & locum tribuet, atque ita lucraberis Fratrem tuum.

5. Non solùm Monitoris; verùm etiam Consolatoris, & amici fidelis, usq; ad mortem assistentis officium obeat. Obitumque Confraternitati denuntiet, ut suffragia debita pro defuncti anima exposcat. Nec dubitet, quin piissimi, Confratris, Manes, inanimi grati signû, pro acceptis beneficiis singularè quampiam gratiam aut favorem, à benignissimo Numine sint exoraturi, cùm primùm ad sacrosanctæ Triados thronum, conspectumque deducti fuerint.

3. Ne autem nova, aut inusitata quibusdam fortasse videatur, Monitoris hu-

hujusmodi electio; variis, iisque peril-
lustribus, eam exemplis declarabimus:
ex quibus tam Eligentis quàm Monentis
officia, virtutésque abundè elucescent.

1. Primum exemplum perhibet, ma-
gnus Ecclesiæ veteris Doctor & Ductor
Moyses, qui licet Deo esset longè fami-
liarissimus, & ut paginæ sacræ testan-
tur, *Cum Deo loqueretur facie ad faci-*
em, sicut loqui solet homo ad amicum su-
um. Exodi c. 33. Nihilominus, ne aber-
raret à via per desertum, elegit cogna-
tum suum Hodab, tanquam Ductorem
viæ peritum Numer. c. 10. & Monito-
rem, casu quo à via deflecteret. Qua ve-
rò de causa fidum hunc Achatem ac viæ
comitem aut prodromum sibi adscivit?
Respondet S. Augustinus in Prolog. L.
de doct. Christ. dicens: *Moyse maxime*
providus & minime superbus hunc cogna-
tum suum, (Ductorem ac Monitorem:)
assumpsit: noverat enim ex quacunque
anima verum consilium processisset, non ei,
sed illi qui est veritas, immutabili Deo;
attribuendum. Imitentur Ductores &
Doctores populi, per desertum mundi
hujus

hujus ad terram promissionis, ad celestem patriam viam illi demonstrantes ne & ipsi devient, aut populum sibi concreditum, in erroris labyrinthum deducant.

2. Alterum exemplum præbet S. Dionysius Areopagita S. Pauli Discipulus, à S. Chryostomo, volucris cæli appellatus, Nihilominus, vir tantus; & Ecclesiæ primitivæ lumen, ad Timotheum scribens eundem monitorem & correctorem sibi flagitat, dum scripta sua ejus censuræ & crisi subjicit. *Si hæc inquit, aut minus rectè, aut minus planè diximus aut à veritate deviamus, erit humanitatis tuæ corrigere, & curare nolentem agrotare.* Quis obsecro nostrum, quantavis eruditione ac prudentiâ fulgeat, monitorem detrectet? si exempla tam luculenta perpendat?

3. Exemplum est S. Basilus Magnus, Cappadociæ Episcopus eximie Sanctimonie & sapientiæ Doctor, omnium in Oriente Religiosorum Magister. Is nihilominus à transmarinis Episcopis, monitionem, correctionemque reposcit Epist. 77. hæc exarans: *Debebant ad nos crebrius*

crebrius vestra destinari litera; quibus
 vel in proposito confirmaremur, vel si qua
 in re offendimus, corrigeremur; non enim
 negamus innumeris nos erroribus obno-
 xios esse, cum homines simus, & in carne
 vivamus. Quanta viri tanti animi demi-
 ssio!

4. Exemplum offert S. Gregorius
 Naziansenus S. Basilii familiaris: & ere-
 mi & mentis, & morum ac studiorum
 socius: quem idem Basilius vas electio-
 nis, puteumque profundum nuncupat,
 S. Hieronymus præceptorem suum no-
 minat: S. Gregorius Papa, reverendæ
 memoriæ virum appellat. Hic tamen
 tantus Doctor, Basilium in monitorem
 & consiliarium elegit: identidem ab eo
 moneri, ac doceri cupiens: unde hæc e-
 jus ad illum verba: *Tu verò os divi-
 num & sacrum caput, doce nos, quom-
 que progrediendum sit.* Epist. 2. Et
 quidem tam importunè ac crebrò
 ad eum recurrit; ut illum Basilius tan-
 dem, datis literis, cohibere sit coactus.
 Quanta correctionis sitis & desiderium?

f.

5. S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus orbis oraculum, Ecclesiae lumen fulgidissimum, & columen, Augustini Instructor & Baptista; vir hic sanctus Sabinum placentinum Episcopum, in arbitrum & monitorem adscivit, à quo & corrigi & moneri petiit Epist. 40. *Arbitrum inquit, te rogavi, tuum est liquido discernere, quae corrigas.* Imitentur Pastores Pastorem Sanctum, & Sacerdotes Sacerdotem magnum.

6. S. Augustinus, Hipponensis Episcopus, Doctor Doctorum, inter Doctos sanctissimus, inter sanctos Doctissimus, Cherubinus per scientiam, per amorem Seraphinus, Defensor Fidelium, debellator Haereticorum extitit. Et tamen, ea fuit animi demissione, ut à quovis, etiam juniore, doceri, instrui, corrigique flagitaret. Epist. 75. *Ad Auxilium Episcopum scribit: En adsum senex à juvene Episcopo, Episcopus tot annorum à collega necdum anniculo, paratus sum discere.* Rursum idem in alio loco: *Si posses me docere, quod ignoro, libentissime te sufferrem, non solum verbis increpantem, sed etiam verberibus*

beribus castigantem. Et Sacerdos suavem
& amicam admonitiuncular, si hallu-
cinetur, aut erret, ex humilitatis defectu,
refugiat ?

7. S. Laurentius Justinianus, Vene-
torum Patriarcha & Episcopus, sancti-
tatis & doctrinæ laude clarissimus, vel
ab ipsa sapientia divina ad connubium
invitatus; eâ fuit humilitate; ut Madi-
um de Madiis in Monitorem, & corre-
ctorem adlegerit; eundemque per literas
frequens rogârit; ut siquid notaret, cor-
rigere atque emendare dignaretur; seque
ejus correctioni demissè pariturum spo-
ndit. Viri hujus sancti ac docti, legant
vestigia docti.

Ne prolixiores simus, tacemus Apo-
stolorum Principem, qui S. Paulum
monitorem habuit. Ad Gal. c. 2. Tace-
mus S. Paulum Philemone consiliario,
usum. Ad Philem. v. 14. *Sine consilio tuo
nihil volui facere.* Tacemus S. Bonifa-
cium primum Archi-Episcopum Mo-
guntinum, Martyrem & Germaniæ A-
postolum, qui Ecbertum: S. Damasum
Papam, qui S. Hieronymum: S. Fulgen-

S

tium

tium Episcopum , qui quendam Abbatem : S. Philippum Nerium , qui Cardinalem Baronium ; S. Carolum Borromaeum , qui unum & alterum monitorem adhibuit.

Hic orationis filum abrupte meditabamur ; cum ecce recens quodpiam exemplum incidit ; quod , ne vetera duntaxat recensere videamur , at texere , operæ pretium esse duximus . Magnus in Italia Dux & Princeps nobis notus , beneficus (cujus etiamnum superstitis nomini parcimus) ex certo Ordine religioso virum virtute ac doctrinâ conspicuum , pro conscientia suæ arbitro , simulque Monitore postulavit : is cum advenisset , coram Christi in Crucem suffixi effigie , hisce cum verbis compellavit : mi Pater : ego tibi conscientiam & animam meam committo ; simulque injungo ; ut sine vel officio meo deesse , vel justitiam non administrare vel alia in re aut excessum , defectum admittere notaris ; sincerè , liberè , confidenterque me admoneas ; quod nisi præstiteris ; coram hoc (crucifixum indigitabat) in die judicii te accusabo.

fabo. O præclarum Principis, salutis ac perfectionis suæ amantis exemplum ! Tot igitur tantorumque sanctorum & virorum illustrium exemplis, quis è nobis DD. Confratres non libens monitorem in delictis, consiliarium in dubiis, amicum in secretis cordis, compatientem in adversis, in prosperis gratulantem, ac denique assistentem & consolantem in extremis, eligat atque admitat ? O quantum inde commodum ? quantum emolumentum ? Quantum solatium ! Audiamus S. Bernardum in Tractatu de ordine vitæ sic differentem : *Magnum hujus vitæ solatium est, ut habeas, cui pectus tuum aperias, cum quo arcana participes, cui committas secreta cordis tui, ut ames & sequaris eum, qui tibi paternâ pietate in tristibus compatia- tur, in persecutionibus adhortetur, & in prosperis gratuletur;*

Quæ cum ita sint, Reverendissimi, Admodum Reverendi Domini, sequamur consilium Canonis, & monitum sapientis : *Consiliarius sit tibi unus de mil- le, qui tibi velut oculus invigilet, velut*

monitor corrigat, velut amicus solati-
um impertiat, velut testis fidelis assistat,
velut frater, obitûs tui diem denuntiet.
Cùm enim in defectibus propriis, ut vi-
dimus, talpæ simus eosdemque passione
excœcati sæpenumero non advertamus;
ejusmodi Amici, non solùm utilitatem;
verùm etiam necessitatem ac felicitatem
facilè perspicimus. Adeoque si illum
nondum elegerimus, propediem eliga-
mus, electumque omnibus adulatori-
bus præferamus, velut amicum præci-
puum colamus, ejusdem monita haud
ægrè feramus; sed velut animæ medica-
menta, de manu medici, placidè acce-
ptemus: sic acceptata, erunt morbo-
rum nostrorum præsens alexipharma-
cum; repudiata verò, instar virgæ Moy-
sûs, vertentur in colubrum, toxicum &
venenum. Quod si etiam à Confratrum
nonnemine in Monitorem assumamur;
munus id charitatis minimè detrecte-
mus; sed eo suscepto, Confratris vitia
non palpemus, lapsus, præsertim foras
erumpentes, famamque nominis læden-
tes, non dissimulemus: verùm *affectuose,*
id

id e
fig
ritu
ac v
neo
tose
cli.
su su
salu
cide
cio
cen
mat
tuar
æte
defi
nur
rò u
reri
gna
sup
len
Die
Am
nia
per

id est magnâ charitatis & benevolentia
 significatione, & *suaviter*, id est in spi-
 ritu lenitatis, cum verborum dulcedine
 ac vultûs serenitate eosdem insinuemus;
 nec desistamus; donec correctos, aboli-
 tîsque spectemus: secundum illud Ec-
 cli. c. 4. *Ne reverearis proximum in ca-
 su suo; nec retineas verbum in tempore
 salutis.* Ac denique in extremis fideliter
 eidem assistamus: & si medicorum judi-
 cio, præsens mortis periculum adesse
 censeatur, Infirmum moneamus, ut
 maturè, antequam rationis usu desti-
 tuatur, Sacramentis supremis, ad iter
 æternitatis communiatur: & demum
 defuncti obitum Confraternitati de-
 nunciemus, ne suffragiis privetur. Si ve-
 rò utrimque, difficultas quædam occur-
 terit, ad eam perrumpendam, expu-
 gnandamque animent nos, non solum
 superdicta rationum verùm etiam lucu-
 lenta Sanctorum magnorum Moysis,
 Dionysij, Basilij, utriusque Gregorij,
 Ambrosij, Augustini, Laurentij Justi-
 niani, aliorumque exempla. Quibus si
 permoti, dictis charitatis & misericor-

diæ officiis, cum amore & suavitate cum zelo & constantia, perfuncti fuerimus; gratissimum Deo obsequium exhibebimus; & Confratribus utilitatem, proximis ædificationem, Angelis lætitiã, nobis gloriam sempiternam comparabimus, secundum illud S. Jacobi Apostoli c. 5. 20. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore via sua, salvabit animam suam à morte; & operiet multitudinem peccatorum.* Atque hisce Canonum nostrorum expositionibus coronidem imponimus, ad laudem & gloriam sacrosanctæ Trinitatis; ad gaudium & lætitiã totius Ecclesiæ triumphantis; ad fructum & emolumentum Ecclesiæ militantis: ad solatium & levamen Ecclesiæ, in igne purgante, patientis, ac denique ad meritum, profectum & incrementum universæ nostræ Confraternitatis, Amen.

EPI-

EPILOGUS
& Conclusio.

Habetis, Admodum Reverendi, Eximii & Amplissimi Domini, Canones Confraternitatis, eorundemque Expositiones: reliquum est, ut non solum crebro legatis ac expendatis, verum etiam, quod chartis est impressum, cordibus quoque vestris imprimatis, & id, quod haecenus fortasse executioni mandatum non est, tandem in praxin redigere allaboretis. Atque ut compendio dictorum, memoriae vestrae consulam.

Canon I. Exigit à vobis vitae bonae testimonium: idque merito: Vos enim estis lux mundi: quare *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Matth. c. 5. 14. Vos in Ecclesiis & Parochiis vestris, instar Stellarum, imò instar Solis omnium oculis expositi estis: ac proinde bonae vitae radios diffundite, animasque vo-

bis commissas virtutum splendores illustre : nam *Eum qui regendos alios suscipit, tantâ decet gloriâ virtutis excellere, ut instar Solis, ceteros velut Stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret.* S. Chrysof. hom. 10. in Epist. 1. ad Timoth.

Canon II. Requirit à vobis menstruum pro vivis, hebdomadariam pro defunctis Sacrificium. Nolite fraudare invicem : sed præstate, quam pacti estis, vivis Charitatem, defunctis Misericordiam : Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis : *Beati enim Misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. c. 5.

Canon III. Præscribit officia Præsidentum. Videte, ut suum quisque munus cum vigilantia obeat ac ministerium suum impleat. *Qui præest in sollicitudine præsit.* Ad Rom. 12. 8. Atque ut monet S. Gregorius : *Tanquam Speculator in altitudine mentis sedeat, atque vocabulum nominis, ex virtute actionis trahat : in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam.* Homil. 11.

Ca-

Canon IV. Satisfactionis præstitæ, & & animi perseverandi, indicationem postulat. Utrûmque præstate: Perseverantia enim ut docet Doctor Mellifluus Epist. 129. *Est Nutrix ad meritum, mediatrix ad premium, Amicitiarum nodus, Unitatis vinculum, propugnaculum Sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo: sola est cui eternitas redditur, vel potius quæ eternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.*

Canon V. Crebram exhomologesin & quotidianum suadet sacrificium: Christus ipse invitat, quis emanat? Nolite tardare, nolite vos excusare; venite accedite, accipite & manducate: erit id ad augendum meritum, ad Dei cultum, ad Angelorum gaudium, vivorum solatium, defunctorum refrigerium, ad virtutis ac sanctitatis incrementum: *Quando enim Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos letificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requi-*

empræstat, & sese omnium bonorum participem efficit. Thom. Kemp. L. 4. c. 5.

Canon VI. Ebrietatem damnat, Sobrietatem commendat: hanc constanter colite; illam cane pejus & angue fugite. *Fratres Sobrii estote*, ingerit S. Petrus. *Consideratecum*, quantum natura poscat, non quantum cupiditas exoptat: *Circumcide superflua: ede citra crudelitatem; bibe citra ebrietatem.* ait S. Martinus Ep. Bracc.

Canon VII. Lectionem Librorum spiritualium inculcat. Eandem suadet Apostolus: *Attende lectioni* 1. Tim. 4. Igitur cum Augustino, Scripturarum volumina & SS PP. monumenta, aliósque asceticos, *Tolle, lege tolle lege*; ut spiritum Ecclesiasticum inde haurias & imbibas.

Canon VIII. Studium & scientiam officio necessariam præscribit: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & veritatem ex ore ejus requirent.* Malach. c. 3. Quare ita in studia incumbite, ut monitum Divi Hieronymi impleatis:

Sic

Sic stude tanquam semper victurus, sic vive, tanquam semper moriturus.

Canon IX. Habitum honestum & modestum ordinat, juxta monitum Ecclesiastici c. 11. *In vestitu ne glorieris unquam.* Sed ut docet Apostolus. *Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti simus.* 1. Tim. 6.

Canon X. Lectionem sacram in convivii commendat. Legite igitur: quia *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Legite, ut dum corpus reficitur, animæ quoque refectio sua præbeatur. Legite, & ut monet S. Augustinus, ex lectis, aliquid in ventrem memoriæ demittite; quod postmodum velut animalia munda, cum fructu ruminetis.

Canon XI. Ad Ordinem diei & exactam temporis pretiosi curam excitat: *Fili construa tempus.* Eccli. c. 4. *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Eccli. c. 14. 14. *Quia tempus breve, tempus nobile, tempus irrevocabile est, ideoque illud quàm optimè collocate?* *Omne perit tempus,*

quod non Deo, aut rebus ad Deum pertinentibus impenditur. S. F. Borgias.

✠ Canon XII. Proponit frequentiam Orationum: *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem.* Matth. 26. 41. *Volo, viros orare in omni loco.* 1. Tim. 2. 8. Si Mundanos, quantò magis Ecclesiasticos, Sacerdotes, Pastores? Hinc orate, petite, quærite, pulsate: *Petite & accipietis, quærite & invenietis; pulsate & aperietis vobis* Lucæ c. 11.

Canon XIII. Hortatur ad annum Exercitiorum spiritualium usum; in quibus considerando ac meditando perpenditur & tractatur vel statûs electio, vel recta muneris impositi administratio, vel morum vitæque correctio, vel fervoris instauratio, vel deniq; ad mortem felicem præparatio. *Ducam eam in solitudinem & loquar ad cor ejus.* Osee c. 2. 14. *Quare venite, & audite; quid loquatur in vobis Dominus; Venite seorsum in desertum locum & requiescite pusillum:* Marci c. 6. 31. *simulque Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Psal. 33. 19.

Canon XIV. Monitoris præscribit electionem. *Consiliarius sit tibi unus de mille.* Eccli. c. 6. 6. Et amicus sincerus, qui fidelis Monitoris partes agat. *Sicut unguento & variis odoribus delectatur cor; ita boni amici consiliis (ac monitis) anima delectabitur.* Proverb. c. 27. 9. *Et quid dulcius, quàm habere amicum, cum quo audeas, ut tecum, omnia loqui? Ab hoc admoneberis libenter, & reprehenderis patienter: Si meritò objurgavit, scito quia profuit: Si immeritò; scito, quia prodesse voluit: non acerba, sed blanda timebis verba.* S. Martinus Bracc. Epist. in Maximis.

Canonum horum atque Expositionum documenta, A. Reverendi Domini, si in praxin deduxeritis; ô quot gratiæ divinæ gradus, quot virtutum actus, quot meritorum cumulos, quot perfectionis & beatitudinis æternæ thesauros inde referetis!

Erunt vobis, tanquam *Columna nubis per diem & columna ignis per noctem* Exodi c. 13. quæ vos per varias deserti hujus ambages non ad terram promis-

sam, ad terram lacte & melle manantem, sed ad patriam cœlestem feliciter perducant.

Erunt vobis velut scuta adversus vitia, velut propugnacula adversus peccata, velut amuleta adversus Damnationis pericula. Erunt antemurale Mandatorum Dei & Ecclesiæ staturorum: de quo jure dixerimus illud Isaia c. 26. *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator, murus ponetur in ea & antemurale.* Quamdiu hoc antemurale stabit illæsum; illæsus quoque perstabit Murus Mandatorum Dei & Ecclesiæ: ubi verò illud evertetur; ipse quoque murus destruetur secundum illud Thren. c. 2. *Luxitque antemurale, & munus pariter dissipatus est.*

Erunt vobis velut seps aut sepimentum, animæ vestræ vineam circumdans, & à bestiarum incurſu protegens. Dominus noster Jesus Christus *Plantavit vineam, & sepe circumdedit ei.* Matth. c. 21. Vineam hæc est Ecclesia, est Ecclesiastica Hierarchia, est Confraternitas nostra, est anima cujusque: Si hanc Ca-

no-

nonum utilissimorum lepem custodieritis, animæ vestræ vinea tuta & incolumis stabit ; si verò eam dissipaveritis ac destruxeritis ; animæ periculum & serpentis stygii morsum haud evadetis : nam *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Eccle. c. 10. 8.

Erunt denique Canones hi præclarissimi, eorundemque Expositiones, instar scalæ Jacob, ad cœlum usque pertingentis. *Vidit Jacob scalam stantem super terram, & cacumen ejus tangens cœlum, ac Deum scalæ innixum.* Gen. c. 28. 12. Scalæ hujus gradus ex mente S. Bernardi & S. Antonini in summa Theolog. p. 3. *Non sunt alii, quàm lectionis, meditationis, mortificationis, aliarumq; similiarum exercitationum.* Et quid obsecro Canones nostri atque eorundem Expositiones aliud exigunt, aut desiderant? Per hanc igitur scalam, ac quatuordecim ejus gradus, alacriter conscendamus : hâc viâ, ad perfectionem sacerdotalem ac pastoraalem ; ac denique ad Deum O. M. scalæ summitati innixum
feli-

feliciter pertingemus: quod pro bonitate sua infinita nobis omnibus largiatur Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

F I N I S.

Omnia ad majorem Dei gloriam,
& animarum salutem.

INDEX

C
II.
III
IV
V.
VI
VI
V.
IX
X
X
X
X
X

INDEX CANONUM.

CAnon I. Agit de vitæ bonæ testimo- nio.	Pag. 37.
II. De menstruo pro vivis, & hebdoma- dario pro defunctis suffragio.	57.
III. De Præsidium officio.	83.
IV. De Satisfactionis indicio.	100.
V. De crebra Confessione & Sacrificio quotidiano.	120.
VI. De Sobrietatis exemplo.	143.
VII. De lectione Librorum spirituali- um.	169.
VIII. De necessitate Scientiarum.	194.
IX. De habitu modesto Ecclesiastico- rum.	236.
X. De lectione pia, in conviviis.	283.
XI. De ordine diei & cura temporis.	322.
XII. De frequentia Meditationis.	344.
XIII. De annuis Exercitiis.	369.
XIV. De electione Monitoris.	395.

MNE-

MNEMOSYNON
SEU MEMORIALE
HONORIS

REVERENDISSIMI ET
GELSISSIMI DOMINI

D. HERMAN: WERNERI
EPISCOPI PADERBORNEN-
SIS, S. R. I. PRINCIPIS CO-
MITIS PYRMONTANI, CA-
THEDRALIS HILDESIENSIS
ECCLESIAE PRÆPOSITI, &c.
Gloriosæ Memoræ, Confrater-
nitatis nostræ, Authoritate Pon-
tificiâ, Confirmatoris. De Con-
fraternitate nostra optimè meriti,
Neuhusi piissimè in Domino De-
functi 21. Maij Anno
1704.

In memoria æterna erit justus. Psal. 111. 7.

MEmoria impiorum citò perit, justo-
rum perpetuo manet: quoniam

In

*In memoria aeterna erit justus. psal. 111.
 & memoria justorum cum laudibus ; nomen
 verò impiorum putrescet. Proverb. 10.7.
 Ut igitur memoria & nomen Reveren-
 dissimi & Celsissimi Episcopi ac Princi-
 pis Hermanni Werneri , gloriosæ me-
 moriæ , magni benefactoris & patroni
 nostri , in Confraternitate nostra peren-
 net. Erit hoc breve elogium , tanquam
 memoriale perpetuum, nominis ejus, &
 tanquam mnemosynon nostri in eum
 grati animi, nec non testimonium debi-
 ti honoris & amoris. *Erit hoc memoria-
 le nominis tui.* Judith. c. 9. 15, tum in
 præsentibus Chartis , tum in Archivii
 nostri tabulis, tum vel maximè in omni-
 um D. D. Confratrum cordibus devo-
 tis, pluribusque titulis illi obstrictis, ne
 verò tituli hi quenquam fugiant , eos
 paucis declarabimus.*

I. Titulus primus, ob quem memoriâ
 æternâ digna est Celsitudo sua, hic est ,
 quòd commissione speciali, Sanctissimi
 Domini Innocentii, ejus nominis, un-
 decimi, Pontificis maximi, Confraterni-
 tatis nostræ, statuta, jura & privilegia

exa-

examinarit , approbavit & confirmaverit : hisce verbis : *Prænominatam Confraternitatem , & singulas ejus ordinationes ac constitutiones , auctoritate Apostolicâ nobis delegatâ , in perpetuum approbamus & confirmamus , illisque perpetua , & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus : nec non eâdem auctoritate , ut prædictæ Confraternitatis Sacerdotes , juxta tenorem literarum Apostolicarum , indulgentiis in perpetuum gaudere possint , concedimus & indulgemus .* Actum in aula & residentia Neuhufana 17. Maij Anno 1688. Tanti verò beneficii memoria , ut ne unquam apud nos obli- retur : *Erit hoc memoriale nominis tui .* Judith. c. 9. 15.

II. Titulus secundus , animum gra- tum , honorem & amorem perenni me- moriâ contestandi , est ; quod eadem Re- verendissima Celsitudo sua , Confrater- nitati nostræ , nomen dare , eam auctori- tate suâ illustrissimâ exornare & coho- nestare , ejusque ordinationes ac consti- tutiones ad amissim explere dignata fuerit . Si enim civitas de senatore pru- dentiâ celebri : si Academia de Doctore
sci-

scientiâ nobili : si exercitus de Duce aut
 commilitone fortitudine excellenti : si
 Respublica & communitas quævis de
 membro virtutibus eminente sibi gratu-
 letur & applaudat, quidni Confraterni-
 ras nostra laudatissima, de membro &
 patrono, dignitate ac virtute adeò illu-
 stri gaudeat, glorietur : & cum laudibus
 recordetur? Ne verò id unquam oblivio-
 ni tradatur: *Erit hoc memoriale nominis
 tui.*

III. Titulus tertius, memoriæ peren-
 nis cum laudibus conservandæ, est, quia
 Celsitudo sua, nobis, quâ Pastoribus,
 quâ Sacerdotibus, omnium virtutum
 Episcopaliû Pastoralium & Sacerdo-
 talium exemplis eximiè præluxit : illa-
 rum præcipuè, quæ per Episcopalia in-
 signia & ornamenta mox subjungenda,
 designantur.

I. Mitra Episcopalis, honoris subli-
 mis & sanctitatis, quæ in Episcopo re-
 quiritur, symbolum est: Unde in Mitra
 Pontificum veterum inscriptum lege-
 batur *Sanctum Domino*. Et de Aarone
 Sacerdote magno Ecclesiastici. c. 45. 14.
 legimus *Corona aurea super Mitram*.

ex-

expressa signo sanctitatis, (tanquam sigillata his verbis, *Sanctum Domino*) *Et gloria honoris & opus virtutis*, id est gloria, honore & maiestate conspicua. Eadem deinde Mitra vigilantia & cura Pastoralis index est: Episcopus enim vi nominis, superspeculans, superintendens, supervigilans est, cum eius sit, gregi suo altiùs intendere & invigilare. Ideo Episcopo dictum est, Apocal. c. 3. 2. *Esto vigilans*; & ovibus tuis diu, noctuque attendens. Argus sanè sit Episcopus, necesse est, qui non unam, sed tot millenas animas custodire, curare, pascere, atque ad salutem æternam perducere debeat, non secus ac suam. Qua de causa Concilium Tridentinum: *Episcopatum onus Angelicis humeris formidabile* nuncupat. Quale verò virtutum harum specimen, Cel-situdo sua nobis præbuerit, elogii hujus brevitatis, non sinit particulariùs enucleare; novit eas Diœcesis Paderana universa, ac memoria perenni celebrare non desinet.

2. Pedum Episcopale seu Pastorale, regiminis signum exhibet: ut enim Pastor oves baculo, sic Præsul easdem pedo

gu-

gubernat. Quod quidem Antistitis regimen munia terna complectitur. 1. Infideles & infirmos ad Christum allicere. 2. Probos dirigere, 3. Improbos castigare: quæ tria pedum repræsentat; id enim in apice curvum est; quasi uncus attrahens; in medio rectum, quasi oves morigeras dirigens: & in imo, cuspidis instar, acuminatum, aberrantes & exorbitantes pungens; quæ munia hoc metro Poëta expressit: *Curva trahit; pars recta regit; pars infima pungit.* Quali rursus in his, exemplo nobis refulserit Celsissimus Episcopus ac Princeps Hermannus Wernerus, gloriosæ memoriæ; quis enarra- verit? loquitur id Patria universa, apud quam memoria ejus non delebitur.

3. Crux aurea, gemmis & adamantibus distincta in pectore ab Episcopo gestata: passionis ac Crucis Christi jugem memoriam refricat: in laboribus, doloribus & adversitatibus animat: atque ad amplificandum Christi Crucifixi regnū, stimulos ac robur addit. Quo amore Celsissimus Princeps, Christum Crucifixum complexus fuerit: quâ animi fortitudine ac patientia dolores & adversitates,

tes, ultimi præsertim morbi tempore, tolerârît; quo zelo Christi regnum dilatare allaborârît; novit aula, novit perillustri familia, novit patria; in qua etiam post fata, vivit memoria ejus cû laudib⁹.

4. Annulus Episcopalis, qui in digito medio manus dexteræ gestatur, virtutis, fidei & discretionis est Hieroglyphicum: velut ipsa donationis annuli formula declarat: quæ sic habet: *Accipe anulum discretionis, & honoris fidei signum: ut quæ signanda sunt signes; & quæ aperienda sunt pandas; quæ liganda sunt liges; quæ solvenda solvas.* Quâ fide, prudentiâ, discretionem, humanitate, benevolentia & affabilitate Celsissimus Præsul Hermannus Wernerus oves sibi commissas rexit, & nobis facem prætulit, neminem qui virum noverit, latet; ideoque apud neminem non, memoria ejus in benedictione est.

5. Alia Episcopalia vestimenta & ornamenta, cætera virtutum decora adumbrant; quæ Celsissimum & Reverendissimum Hermannum Wernerum egregiè cõdecorarunt: qualia fuêre: Justitia, Fortitudo, Têperantia, Religio, Pietas, De-

votio & Charitas; quæ stellarum instar
 radios suos longè latèque diffudère; ac
 nobis, exemplo luculento præfulsère,
 quas verbo hîc duntaxat perstringimus,
 particularia, & prolixiora Ecclesiaste pro
 concione funebri peroraturò, relinque-
 tes, ut brevitate, memoriæ consulamus.

Quapropter Admodum Reverendi,
 eximii, & Amplissimi Domini, vigeat
 apud nos, & Confraternitatem universã,
 tanti Patroni ac fautoris memoria cum
 laudibus: Et sit hoc memoriale nominis ejus,
 in perpetuum: is enim dum in vivis esset,
 ut meminimus nomine Innocentii XI.
 Pontificis sanctissimi Confraternitatem
 nostram confirmavit: ei nomen dedit &
 eam personã suã celsissima illustravit: ac
 denique eidem vigilantia, patientia, zeli,
 directionis, discretionis, justitiæ, pruden-
 tiæ, fortitudinis, temperantiæ, religionis,
 devotionis, charitatis, cæterarumq; vir-
 tutum Episcopaliũ & Pastoralium exem-
 plis præluxit. Vivat igitur apud nos, post
 fata superstes, ejus memoria, cum grati
 animi significatione, cum honore, amore
 & laudibus. Nec desint vota & apprea-
 cationes, quibus faveamus, voveamus, &
 apprecemur suæ Celsitudini, coronam &
 præmium felicitatis æternæ; vario sche-

T

mate

mate & nomine, varias excellentias indicante, Episcopis septenis in Apocalypsi à Christo c. 2. & 3. promissum: Et quidem Angelo, id est Episcopo Smyrnæ, Coronam gloriæ: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam gloriæ. Apoc. c. 2. v. 10.* Angelo, id est. Episcopo Ephesi *lignum vitæ. v. 7.* Angelo Pergami, *Calculum candidum v. 17.* Angelo Thyatiræ *Stellam matutinam* Angelo Sardensi, *Librum vitæ. Apoc. c. 3. v. 5.* Angelo Philadelphiæ: *Columnam in templo Dei v. 12.* Angelo Laodiciæ; *Sessionem in throno Christi, v. 21.* cunctæ hæc gloriæ perennis Symbola tibi Princeps Celsissime, ex animo vovemus, optamus & aprecamur. Et si fortasse quod minimè speramus, nævi nonnulli, ex fragilitate humana contracti, hanc gloriæ tuæ coronam remorentur; omnes & singuli quotquot Albo Confraternitatis adscripti sumus, sumus autem circiter 500. juxta Canonem ejus secundum, quot hebdomadis per anni unius decursum, pro tuo, aliorumque hoc anno vitâ defungentium, refrigerio ac solatio, divinum missæ sacrificium (toto anno universim erunt sex & viginti Sacrificiorum millia) nos Deo omnipotenti oblaturus, appromittimus atque spondemus.

MNEMOSYNON

seu memoriæ signum

perenne

IN OBITU

Admodum Reverendi, Eximii
& Amplissimi Domini,

D. JOAN: HEIDENRICI
STODTBROCK,

Archi-Presbyteri Lingensis

ET

Pastoris

Schepstorffensis,

CONFRATERNITATIS

Sacerdotum Bonæ Voluntatis

PRIMI DIRECTORIS

GENERALIS,

Eidem CONFRATERNITATI

Honoris, Gratitude &

Memoriæ ergò

oblatum

Anno 1697.

Illustrissimi, Reverendissimi, Perillu-
stres, Amplissimi, Admodum Reveren-
di, Religiosi ac Venerabiles Domini.

*Indicabo tibi, ô homo! quid sit bonum, &
quid Dominus requirat à te: utique face-
re iudicium, & diligere misericordiam,
& sollicitum ambulare cum Deo tuo*

QUando pronuper Telgeti, juxta
morem annum in Domino con-
gregati fuimus, Adm. R. D. Joannes Hei-
denricus Stodtbrock, quondam Archi-
presbyter Lingensis & Pastor Schepstor-
piensis, Sodalitii nostri Præses, cum in-
gravescente jam ætate, & præsentè tunc
morbo, sentiens tandem imminere diei
vesperam, Nobis & Confratribus omni-
bus ultimum per epistolam valedixit; &
quoniam haud diu post, Divinæ placuit
voluntati, optimum virum, nec tam se-
nio, quàm meritis gravem, ex hac vita ad
meliorem evocare, quamvis pro institu-
to nostræ Confraternitatis, Sacrificiis
DD. Confratrum, Eiusdem anima jam
antè commendata sit, non possumus ta-
men pressum hætenùs dolorem diutiùs
celare, quod fatò Nobis ereptus sit Vir
ille,

ille, quem constat omnibus, quotquot illius consuetudine familiariter sunt usi, valdè fuisse exemplarem, imò nec aberrare Nos, si dixerimus virtutum Sacerdotalium ac Pastoralium speculum illustre. Quanta enim non vigeat in eo, dum viveret, in DEUM fides, spes, charitas; quanta non erga proximum egentem misericordia, erga curæ Pastoralis subiectos sollicitudo ac vigilàtia? quanta non erga se ipsum animi demissio, contemptus sui, sensuum custodia, vitæ castimonia, & corporis per jejunia, aliàque opera pœnosa afflicti studium? ut sanè videatur Nobis voluisse hac ratione adimplere, quod DEUS O. M. à quovis fidei, ac præcipuè à Sacerdote altissimi, & animarum Curatore, per Michæam Prophetam c. 6. v. 8. requirit dicens: *Indicabo tibi, ô homo! quid sit bonum. Et quid Dominus requirat à te: utique facere iudicium, Et diligere misericordiam, Et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Scilicet facere iudicium per mortificationem & pœnitentiam erga se ipsum; diligere misericordiam, per opem & eleemosynam erga proximum: Et sollicitum ambulare*

cum Deo suo, per fidem, spem, charitatem, pietatem, & religionem erga Numen supremum.

Primò enim, quale *judicium* fecerit, aut quàm rigidè se ipsum judicaverit, testatum faciunt crebra ejus jejunia, exacta temperantia, assidua sui abnegatio, duracubatio, membrorum ustulatio, severa corporis per varia opera pœnosa castigatio, & ut verbo dicamus sanctum sui odium, idque perpetuum, adeoque intensum, ut nisi in Sanctorum illustrium vitis opera similia, ac majora legeremus, à medio recessisse, & ad alterum nimii rigoris extremum deflexisse videretur.

Secundo. Quanto perè *misericiordiam* dilexerit, comprobatur ejus indefessa erga proximum charitas, assidua in catechizandis & instruendis rudibus, in reducendis ad frugem peccatoribus, in visitandis infirmis, consolandis afflictis, reconciliandis dissidentibus, ac disponendis ad æternitatem felicem moribundis, cura & industria, profusaque in egenos beneficentia; cujus luculentum per sæpè præbuit specimen, & præcipuè tunc, quando omnium bonorum suorum,

pau-

pauperes hæredes scripsit, ne lectulo quidem, in quo moreretur, sibi relicto, nisi precario; secutus in hoc exemplum S. Caroli Borromæi, sanctimonia Illustrissimi Mediolanensium Præsulis.

Tertiò. Quàm sollicitè ambulaverit cum Deo suo, testatur assiduum ejus precandi studium, fervens psalterii recitatio, crebra locorum sacrorum & pietate celebrium Telgeti, Strombergæ, Coesfeldiæ, Billerbecæ &c. visitatio, quotidiana sacrificii incruenti oblatio, & annua exercitiorum spiritalium frequentatio, ut hisce, animum curis Pastoralibus quodammodo pressum sublevaret, aut fessum, fatigatumque spiritu instaurato, rursus excitaret, atque animaret ad perfectionis semitam acrius decurrendã.

Quartò. Ex hac DEI & proximi dilectione erumpebat ardens ille, quo flagrabat, animarum zelus: hic enim teste S. Chrysostomo *effectus est vehementis amoris*, quo veluti stimulo identidem adigebatur, ut proximum in via Domini dirigeret, mala quævis ab eo averteret, vera autem, aternaque bona eidem procuraret. Zelus hic, velut calcar pectus viri si-

ne intermissione fodicabat, ut oves sibi commissas verbo, exemplo, & oratione fideliter pasceret; aliosque & cum primis DD. Confratres suos, præsertim curæ Pastoralis intentos (nota loquimur) ad injunctum sibi ministerium ritè obeundum pro viribus excitaret. Testis est Lingensis Ditio, quot istic millia animarum sub ejus potissimum ductu, non tantùm in orthodoxa fide conservata, sed ad teneram quòque pietatem traducta, in eadèmq; firmata sint. Sanè in concredita postremùm Parochia *Schepstorff*, vicinòque pago *Lohn* nullam offenderis familiam; in qua non ipso authore, quotidiè à Domesticis Litaneuticæ preces, & manè quidem cum salutari intentione *de sanctissimo nomine JESU*, Vespere verò cum gratiarum actione *de Beatissima Virgine* devotè recitentur.

Ex hoc fonte profluxit laudatissima nostra in Diœcesi Monasteriensi, Osna-brugensi, & Lingensi districtu *Confraternitas Sacerdotum bonæ voluntatis*, Ejus industriâ potissimum inchoata, & mirificè aucta; quâ nihil aliud Vir zelosissimus intendebat, quam ut DD. Confratres,

Sa-

Sacerdotali aut Pastoralis dignitate conspicui, crebris Sacrificiis pro vivis & defunctis, Epistolis encyclicis, variis admonitionibus, adhortationibus, consiliis, aliisque mediis, ad vitam integram, perfectam, & viro Ecclesiastico dignam, ac denique ad sublimem in cœlo gloriam promoverentur.

Quarum omnium virtutum constanti exercitio & ipse magnam cum primis, uti speramus, in cœlis gloriam promeruit, & quoniam honor virtutem, veluti umbra Solem insequitur, id etiam in terris assecutus fuit, ut Illustrissimi ac Reverendissimi Archi- & Episcopi Philippensis quidem, Ditionis ac Cleri Lingensis Archi-Presbyterum creârit, Trallensis autem & Castoriensis laudatissimi Præsules, eo munere præclarè fungentem singulari semper benevolentia complexi sint; at verò Eminentissimus Princeps CHRISTOPHORUS BERNARDUS Episcopus Monasteriensis, gloriose memoriæ, identidem illum magni fecerit, ad colloquia, ad prandia, ad cœnas vocârit & adhibuerit frequenter; Parochiam Schepstorpiensem ultrò obtulerit;

T s

rit;

rit ; ejusdem operâ ad conservandam ,
 promovendamque in confini terra Reli-
 gionem pluries sit usus ; largarum sæpius
 cleemosynarum distributionem illius fi-
 dei commiserit ; & multis aliàs gratiis , fa-
 voribusque continuè cumulârit : De-
 mùm etiam Sanctissimus Pontifex IN-
 NOCENTIUS XI. Eundem renunciâ-
 rit primum omnium Præsidentem Confrat-
 ernitatis nostræ , authoritate Apostolicâ
 à Se approbatæ.

An non igitur meritò Nobis dolen-
 dum de præcepto tali Præsidente , qui vivum
 virtutum exemplar , & Canonum no-
 strorum observator exactissimus fuit ; sed
 quoniam sic DEO visum , sanctissimæ
 Ejusdem voluntati , majorem omnia ad
 gloriam suam ordinâti acquiescendum ,
 neque defuncto invidenda fors adeò fe-
 lix ac beata , quæ sperare Nos facit fore ,
 ut quem fidum habuit Confraternitas
 nostra Inspectorem in terris , fidelissi-
 mum deinceps sentiat Intercessorem in
 cœlis.

Cum autem idem piæ nunc memoriæ
 D. Præsides , in antedictâ ad Congregatio-
 nem Telgetanam epistolâ , de Neo-Præ-
 sidente

fide tempestivè surrogando sollicitè
 commoneret, unaque designaret Virum,
 quem & ipse judicabat pluribus titulis
 aptiorem; DD. Definidores, post implo-
 ratam Spiritûs sancti gratiam, sensa et-
 iam sua judicio D. Præsidis attemperan-
 tes, designati personam unanimis omnes
 votis elegere. Est autem is Reverendissi-
 mus Dominus Joannes ab Alpen Me-
 tropolitanæ Coloniensis Archi-Diaco-
 nus major, Præpositus Xantensis, Col-
 legiatæ S. Martini Civitatis Monasteri-
 ensis Decanus, q. Principis Episcopi Mo-
 nasteriensis Consiliarius intimior, ac Vi-
 carius Generalis, &c. Cujus viri talenta
 ac merita, passim nota, pluribus de præ-
 dicare, cum ejusdem modestia & perspe-
 cta etiam voluntas omninò vetet, post
 vitam & consummationem reservamus,
 quando nec laudantes adulatio move-
 bit, nec laudatum tentabit elatio. Hoc
 uno nunc contenti, quod tametsi nego-
 tiorum multitudo, quibus Eum tum pu-
 blicè, tum privatim continuò distrahi
 palàm est, obsequii hujus instantiam po-
 tuisset excusare, nihilominus novæ Nos
 ut à conventionis molestiâ liberaret, vo-

tis nostris ad tempus saltem annuerit, atque hinc indubitata spes affulgeat, Societatis nostri Corpus sub tam illustri Capite, ejusdemque præsidio, autoritate & industriâ, non modo in primævo suo flore conservandum, sed & plurimis quotidie, iisque præstantibus membris auctum atque illustratum iri.

Quæ omnia pro obligatione nostra, & informatione Vestra, Vobis significanda esse duximus, dum DEUM Opt. Max. ardentissime precamur, ut ad incrementum gloriæ suæ Confraternitati nostræ charismata semper meliora ex alto largiter concedere benignissime dignetur, qui sumus. 15. Junii 1697.

(Tit.) D.D. V.V.

*Devotissimi, humiles, obsequentissimi
& officiosissimi in Christo Servi*

Confraternitatis in districtu
Monasteriensi, Osnabrugensi,
Coesfeldiensi, Warendorpiensi,
Lingensi &c.
Definitores & Assistentes,

❁ (443) ❁

MNEMOSYNON

PERENNE

IN OBITU

Reverendissimi Domini

DOMINI

JOANNIS ab ALPEN

Metropolitanæ Coloniensis

Archi-Diaconi Majoris,

Præpositi Xantensis,

Insignis Collegiæ S. Martini

Monasteriensis

DECANI,

quondam

Episcoporum ac Principum Mo-

nasteriensium Consilarii intimioris,

AC

Vicarii in Spiritualibus generalis. &c.

CONFRATERNITATIS

Sacerdotum Bonæ Voluntatis

SECUNDI DIRECTORIS

GENERALIS,

Eidem CONFRATERNITATI

Honoris, Gratitude &

Memoriæ ergò

oblatum

Anno 1698.

Illustrissimi, Reverendissimi, Perillustres
Amplissimi, Admodum Reverendi, Re-
ligiosi ac Venerabiles Domini.

*Mementote Præpositorum Vestrorum ,
qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum
intuentes exitum conversationis, imita-
mini fidem. Heb. 13. v. 7.*

INter alia documenta longè utilissima
Hebræis ad Christi fidem conversis
à S. Paulo Doctore gentium tradita, ve-
rè non est minimum hoc , quod modo
recitavimus. *Mementote Præpositorum
Vestrorum &c.* Quam quidem Aposto-
licam commonitionem licet Theophy-
lactus de Præpositis vivis prolatain esse
censeat, ex mente tamen D. Chrysofomi,
atque ex ipso verborum contextu, de vi-
tâ functis pronunciatam fuisse omnino
liquet: ait enim, *Quorum intuentes exi-
tum conversationis, imitami fidem,* id
est , eorum finem vitæ honestissimum
considerantes, sectemini fidem & con-
stantiam, nō secūs, ac si diceret; Memen-
tote, ô Hebræi, Præpositorum Vestro-
rum, Apostolorum, Martyrum, aliorum
quoque Episcoporum, Doctorum, Pa-
storum,

storum, ac Sacerdotum in Domino defunctorum, tam commemorando quemque privatè, quàm publicè in Canone Missæ à Sacerdotibus, nam hoc ab Apostolis apud S. Clementem ex Turriano in l. 8. Constit. Apost. c. 39. sancitum est hisce verbis: *In diebus Apostolorum fideles vacent* [memoriam eorum celebrantes] *Magistri enim vestri fuerunt in Christo, vobisque Spiritum sanctum dederunt.* Memoriam hanc ab Hebræis requirit Apostolus.

Rmi. Adm. Rdi. Dni. Confratres in Christo. Quod S. Paulus de Sanctis tum Præpositis asseruit, liceat & nobis [si tamen fas est] applicare Præpositis nostris recenter in Domino defunctis, nostramque commonefaciendo excitare seriam mentem, ut earum virtutum, quas in iis notavimus, calcariibus excitati studeamus imitari; ad Aram verò nobis facientibus Memoria Eorum minimè excidat.

I. *Mementote Præpositorum Vestrorum &c.* Jacturam fecimus Anno 1697. 31. May. Confraternitatis nostræ Præpositi primi ac velut Fundatoris Adm. Reverendi Domini *Joannis Heidenrici*

Stodt-

Stodebröck quondam Archi-Presbyteri
Lingensis & Pastoris Schepstorfensis ;
de cuius virtuosâ & exemplari vitâ retu-
limus anno superiore, perque anni cir-
culum quot hebdomadibus ejus memi-
nimus ad Aram; nec tunc mora fuit: quin
ne Confraternitas nostra Præposito suo
viduata diu lugeret, in decessoris locum
Reverendissimum Dominum *Joannem*
ab Alpen Præsidem; eumque jam ab An-
tecessore in extremis ad hoc officium re-
commendatum elegerimus, unanimiter
Eidem suffragando. Enim verò cum im-
mitis Atropos & hujus telam immature
satis abruperit Confraternitati nostræ
non absque dolore, par est sicut primi
Anno 1697. ita & hujus secundi Anno
1698. labente usque ad anniversarium
obitûs meminisse.

II. *Mementote* igitur Præpositi nostri
Dni. *Joannis ab Alpen* p. m. qui Metro-
politanae Ecclesiae Coloniensis ad annos
17. Archi-Diaconus major, Xantensis
Præpositus, insignis collegiatae Ecclesiae
S. Martini Monasteriensis ad annos 35.
Decanus, Celsissimorum DD. CHRI-
STOPHORI BERNARDI ac Ferdi-
nandi

nandi Episcoporum ac Principum Monasteriensium Consiliarius intimior, & respectivè per Civitatem & Diœcesin Monasteriensem ad annos 24. Vicarius in spiritualibus generalis & sigillifer, tantâ in hisce muniis ac dignitatibus Virtutum gratiâ prudentissimus, doctissimus prætulit, ut Reverendissimo ac Celsissimo D. CHRISTOPHORO BERNARDO tanto Episcoporum ac Principum Luminis [cujus etiam vitam, virtutesque heroicas stylo elegante, tersâque latinitate prælo dedit] summo in amore extiterit, ad ardua adhibitus, sibi que commissis sæpe legationibus dexterrimè perfunctus. Mementote Itaque Præpositi nostri, seu dignissimi Præsulis Confraternitatis nostræ, quæ, ut fieri amat, enascens, ne subiret detrimentum, sed potiùs novis indies incrementis adolesceret, Eum sibi Defensorem, Protectorem, ac tandem Præsidem Inspectorem elegit; ac Deo favente sub ejus tutelâ, in eam quam modo cernimus amplitudinem excrevit, ut ultra 370 capita, inter quæ complura & stemmate & virtutibus illustria eminent, recenseamus.

III. *Qui vobis locuti sunt Verbum DEI.*

AN non Rmus Dns Præpositus p.m. locutus est nobis Verbum Dei: cum Confraternitatis nostræ Canones vel composuerit ipse adeò salutare, vel in ordinem redegerit, subscriptisque è verbo Dei testimoniis roborârit, tamque insignia ad perfectionem sacerdotalem instrumenta suggererit, è quibus quidvis emolumenti ac fructûs in singulos ac universos non sine notabili æternæ salutis notâ derivatur. Sunt autem Canones hi, qui sequuntur.

Testimonium bonæ vitæ requirit ex
 1. Tim. 3. 2. Pro vivis & defunctis sacrificia præscribit. 3. Confraternitatis ordinem. 4. Fidelitatem promissorum. 5. Crebram Confessionem ac Sacrificium quotidianum. 6. Sobrietatem & temperantiam. 7. Devotionem veram. 8. Necessariam scientiam. 9. Habitûs modestiam. 10. Lectionem sacram. 11. Temporis pretiosi curam. 12. Orationem mentalem. 13. Ascetism annuam. 14. Correctionem fraternam exigit, quæ omnia oraculis divinis stabiliuntur.

Accedit, quod Canonum dictorum

paraphrasin seu Expositionem aliquot jam annis non sine Confraternitatis profectu, Strenæ loco oblatam ipse sedulo relegerit, approbârit, suoque ære liberaliter typo vulgârit, Ita Rmus. D. Præses p. m. locutus est Nobis verba salutis æternæ, quorum vos memores beneficium hoc grato animo ad majorem Dei gloriam, vestrarumque Animarum salutem cum energiâ recolite.

IV. *Quorum intuentes exitum conversationis.* Heb. 13. Conversationem breviter proposuimus, attendamus modo ad exitum. Anno igitur 1698. die 20. Maij horam inter decimam & undecimam vespertinam ætatis suæ 67. consuetis Ecclesiæ Sacramentis maturè munitus in SS. JESU Christi Crucifixi quinque vulneribus Salvatoris sui & nostri confusus cum prævio devotissimo eorundem osculo obiit Monasterii Westphaliæ, atque ad lucem ut speramus concessit indeficientem, sibi omnino præsens in Deo opt. max. confidens, mundoque satur annorum, satur laborum, satur honorum perlubenter valedicens:

dicens:

dicens: cui præfulsit ut orator, & histori-
cus, Philosophus, Theologus, fœcun-
dus ingenio, facundus eloquio, usque
in senectam & senium vir omnium suf-
fragiis integer, eloquentiæ, eruditionis,
Sapientiæ & religionis verè oraculum,
cùm publicæ potius quàm privatæ uti-
litati se natum devinctumque agnove-
rit, quem jam tum à pluribus retroactis
annis sacer ordo Fratrum minorum S.
Francisci conventualium ob paternum
ejusdem in ordinem amorem, & innu-
mera conventibus Monasteriensi & Bu-
choldiensi collata beneficia in filium su-
um seraphicum adoptârat.

V. *Imitami fidem.* Ultimum hoc est
exhortationis Paulinæ monitum, sit
quoque supremum nostrum, Vidimus
optimi Prælati nostri p. m. conversantis
exitum Christianum & devotum, respi-
ciamus imitemurque nunc fidem seu fi-
delitatem, præsertim eam, quam Con-
fraternitati nostræ exhibuit, dum con-
stanter Eam fovendo, incrementum ejus
zelando, consilio industriâque dirigen-
do, prosequendo in mortem usque nos
suos

luos dilexit, cœtum Telgetanum ad Stationem dolorosæ ibidem virginis Matris honorabili præsentia sua honestavit, in aliisque plurimis sese Confratrem ad decem annos & ultra fidelissimum præstitit verè Præsul noster & Inspector, imo tutor & Parens cordialissimus : Cujus retributio ut speramus plurimum copiosa & gloriosa erit in cœlis. Quæ cum ita sint ut sunt verissima, certè jam imitari non pigeat, quod legisse modo delectat. Erit, erit enim, quando recurremus nos omnes in unitatem fidei *ad Ephes. Cap. 4. v. 13.* & agnitionis filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, atque sicut nunc per speculum in ænigmate, ita cum venerit quod perfectum est *1. Cor. 13. 10.* cognoscemus facie ad faciem, hæc quidem spes nostra in sinu nostro; verum vel ideo satagamus magis per bona opera certam nostram vocationem & electionem facere *2. Petri Cap. 1. v. 10.* Hemerobii instar, quæ unius diei volucris eadem quidem die, quâ vitam orditur, finit, & sicut sole oriente nascitur, ita

ita

ita & eodem occidente moritur, nec minus quod magis admirandum unius diæculæ alimenta sibi comparat, quam si corvi ætatem longe excederet. Nos tanto igitur potius ad imaginem Dei & similitudinem factos pretio SS. sanguinis JESU Christi redemptos, imo Sacerdotes dignatione divina consecratos gratiæ Dei per JESUM Christum, quæ in nobis vacua non sit, cooperari oportet, ad majorem Dei gloriam & animarum nostrarum, proximique salutem æternam; cum primis ad Pastorem & Episcopum animarum nostrarum jugiter conversos 1. Petri Cap. 2. v. 25. quò propitius nobis omnibus sit ille, qui reddet unicuiq; juxta opera sua.

Rmi. Adm. Rdi DD. Confratres.

Rmum Dnum Joannem ab Alpen quondam Directorem nostrum, cum prosequeremur aliquantum votis nostris debitis, subibat seria animos nostros reflexio & consultatio de novo Successore eligendo, præfigebaturque electionis habendæ dies 29. Julii, quo jam appropinquante convenerunt in loco consue-

to

to præviè invitati DD. Definitores & Assistentes partim per occlusas litteras, partim in persona propria. Post imploratam de more Spiritus sancti gratiam, post dictam Exhortationem per brevem, apertæ sunt suffragantium litteræ, in pleno publicatæ, quæ juxta Bullam Pontificiam pro tertia nunc vice ex Diœcesi Osnabrugensi unà cum præsentibus consenserunt in *Admodum Reverendum & Eximium D. Philippum Henricum Hardy, insignis Collegiata Ecclesie ad S. Joannem Canonicum Capitularem*, qui [ut ex transmissis ad Congregationem recommendatiis vidimus] ab Anno 1690. munere Definitoris in monitis & consiliis cuius modestè insinuandis, in Statutis moderatè suggerendis, in refrigerio pro defunctis Confratribus per totam provinciam celeriter procurando tanta sollicitudine perfunctus est, ut promittere Nobis possimus, omne ulterius Confraternitatis bonum ab hoc novo Inspectore generali promovendum, cum neque per publicas, neque per privatas occupationes abstrahi se permit-
tat,


rat, uti scimus & notavimus. Quod pro
informatione omnibus & singulis D.D.
Confratribus hisce significandum esse
duximus, qui sumus, Telgeti die 29.
Julii 1698.


D. D. V. V.

*Devotissimi humiles, obsequentissimi
& officiosissimi in Christo servi.*

Confraternitatis in districtu
Monasteriensi Osnabrugensi
Coesfeldiensi Warendor-
piensi Lingensi &c. Defi-
nitores & Assistentes.

FINIS.







Th
3072